


COMMENTARIUM NOSOLOGICUM,

Morbos Epidemicos

ET

AERIS VARIATIONES

IN

Urbe EBORACENSI

LOCISQUE VICINIS,

Per ſedecim Annos graſſantes complectens.

AUCTORE

CLIFTONO WINTRINGHAM.



LONDINI,

Typis GUL. BOWYER;

Impenſis J. WALTHOE, è regione *Excambii Regii*, in vico vulgo dicto *Cornhill*.

M DCC XXXIII.



Viro Clariſſimo

RICHARDO MEAD, *M. D.*

CLIFTONUS WINTRINGHAM,

S. P. D.



UM ex hortatu tuo, vir ampliſſime, jam denuò prodit hic Libellus, jure quodam, te ſibi Patronum vendicat: Et revera quis Hippocraticam obſervandi methodum æque tueatur, ac qui, tam Veterum quam Recentiorum doctrina politus,

ſumma cum laude, Divini ſenis munere fungitur. Ne autem, dum vera commemoro, tibi moram tædiumve faciam, plura non addam; neque aliud petam, quàm, ut publicum hoc noſtræ obſervantiæ teſtimonium æqui bonique conſulas, meque tibi devinctiſſimum habeas.

Dabam Eboraci
Calend. Martii
1732.



Conſan-



Consanguineo suo perquàm Dilecto

FRANCISCO WILKINSON

ARMIGERO

LIBELLUM Hunc

Amoris ergô dicat

CLIFTONUS WINTRINGHAM.



PROLEGOMENA.



Irari mihi non raró ſubiit, quòd, cùm non ſolum mutationes & ſucceſſiones, ſed ipſæ etiam morborum acutorum origines, communi medicorum conſenſu aeri tribuuntur, nemo ab ipſo Hippocratis ævo ad hoc uſque tempus, (periodo ſcilicet pluſquam duorum annorum millium) unquam animum, vel ad eorum mutationes & ſucceſſiones, vel aeris temperamenta eos comitantia, per notabilem aliquam annorum ſeriem, ſolo excepto Sydenhamo, obſervandum appulit. Hæc

autem ei non immerito tribuatur incuria, quòd cùm morbos per plures annos epidemicè graſſantes ſtylo eleganti perſpicuè delineavit, vix verbum de aeris comitantis temperamento addidit.

Aſſiduum in his obſervandis per plures annos tædium, multos ab hoc opere proculdubiò deterruit, & in cauſâ fuit, quòd paucis Hippocratis obſervationibus contenti huc uſque decubuerunt medici; cæteraque omnia quaſi inſcrutabilia poſuerunt.

Hac in re ignaros quoſdam Geographos imitati ſunt, qui oceanis immenſis, vaſtiſque deſertis chartas geographicas complent, hac ſolâ ratione inducti, quòd deficit deſcriptio.

Horum morborum cauſas exponere, non hujus eſt libelli; placet enim eas tantum morborum ſucceſſiones & ſymptomatum varietates, variaque aeris temperamenta eas comitantia

mitantia eo ordine deſcribere, quo per ſedecim annos jam proximè elapſos, in hac urbe lociſque vicinis, ſe palam fecerunt.

Ad quantam in horum morborum cauſis inveſtigandis, quantamque in Phænomenis dignoſcendis, certitudinem, fida per multos annos continuata, nos tandem perduceret hiſtoria, nequaquam novi; hoc tamen ſatis patet, quòd quamdiu tali auxilio deſtituti ſumus, theoriam ullam certam, & rebus ipſis congruam, fruſtra ſtabilire conabimur.

His fretus ratiociniis, obſervationes ſequentes publici juris facere decrevi, eâque ſimplicitate delineare, quâ in propriis commentariis per prædictos annos deſcripſeram; non tam quòd aliquid novi me medicis declaraturum ſuppono (res enim jam præteritas, & à pluribus forſan obſervatas ſolùm recordor) quàm ut alios

lios ad utilissimam hanc medicinæ partem, olim adeò celebratam, prosequendam excitarem.

Morbi in his commentariis posthac enumerati, sunt Epidemici & Sporadici, quos egomet observavi; symptomatum etiam variationes, ad eorum singulos pertinentes, pro viribus fideliter & accuratè descripsi, nullâ commotus cupidine theoriam aliquam ex his excitandi fundamentis.

Non equidem me latet quosdam dari medicos, qui hujusmodi morbos nullas, aut saltem paucas, mutationes subire contendunt, ex iis Aeris qualitatibus quæ sensibus nostris apparent, quales sunt caliditas, frigiditas, humiditas, aliaque ejusmodi; symptomatum autem variationes, & morborum successiones ex subtili quadam materie prorsus ignota, sensibus nostris nequaquam obvia, aliisque hujusmodi figmentis philo-

philoſophicis deducere conantur. Dari quidem tales particulas, ſatis docent peſtilentiarum, aliorumque morborum contagioſorum hiſtoriæ; cur tamen ad has, in ſingulis annis pro iis morborum acutorum phænomenis ſolvendis, confugiendum eſt, ad quæ ſufficerent qualitates ſenſibiles, non equidem video. Quicunque enim animum ad veritatem inveſtigandam, ab obſervationibus aſſiduis tantum provenientem applicabit, certo inveniet, quod non ſolùm morbi eâdem eſſentiâ gaudentes, ab his cauſis varietatem in ſymptomatibus patiuntur, ſed alii ſpecie diverſi producuntur, & non raro omnia morbi regnantis phænomena adeò in alia commutantur, ut alterius morbi ſpeciem præ ſe ferant.

Hippocratem, medicorum facilè principem, de hâc re ità ſenſiſſe, docuit inſignis ejus cura, in varias aeris tempe-

temperaturas, variaque morborum phænomena enumerando, quam passim in operibus, præcipuè verò in Epidemicis deprehendimus. Neque hoc contentus fuit auctor eximius, quinetiam aeris statum morbi ingressum præcedentem, æque ac comitantem, unà cum ventorum ad diversas plagas mutationibus, annorum tempestatibus, aliisque ejusmodi non rarò describit. In quibus omnibus enumerandis vix opus suum impenderet, & multo minus variarum tempestatum accuratam cognitionem, ut imprimis necessariam, in lib. 1. & 3. Epidemicorum tantopere inculcaret; modo de eorum effectibus, ex fidis experimentis non satis sibi persuasum habuit.

Observavit etiam olim Sydenhamus, licèt ad occultas aeris qualitates causam attribuat, morbos epidemicos in diversis aeris constitutionibus

a ſe mutuo adeo differre, "ut quâ "methodo, currente anno ægrotos "liberaveris, eâdem ipſâ, anno jam "vertente, forſitan e medio tolles." Quæ quidem aſſertio reſtrictione levi vera eſt; ut probant morborum, in duabus primis ejus conſtitutionibus, Symptomata. Fuit enim febris poſterior priore magis inflammatoria, ſymptomatibus acrioribus comitata, Hyememque ſummè frigidam, anni ſcilicet 1664, ob diuturnum gelu, ſubitamque ejus ſolutionem, in annalibus adeo celebratam, ſecuta eſt. Quæ aeris temperies cum ſuccedente comparata, ob inſuetam caliditatem ventorumque inopiam æquè notabalis, cuivis rem feriò perpendenti, hujus effectus ſatis perſpicuam reddunt rationem; imò dum qualitates aeris occultas, ut horum effectuum cauſas, ſtabilire conatur laudatus auctor. Hic verò non peſtem,

quæ

quæ hoc anno, viz. 1665 irrupit, ſed febrem continuam, quæ tempore verno ſe palam faciebat, intelligo. Præterea quis non novit, pro diverſis aeris conſtitutionibus, nunc febres languidas, debilitate ſummâ, ſpirituum languore, largiſque ſudoribus comitatas; nunc febres verè inflammatorias, his omnino contrarias graſſari; & curationem longè diverſam, ne dicam contrariam, poſtulare.

Non mea autem eſt ſententia, quod exigua quælibet aeris variatio in calore, pondere, humiditate, aliiſque ſenſilibus ejus qualitatibus corpora noſtra in hunc modum afficere valeat, ſed eæ ſolæ, quæ in ſtabilioribus Aeris temperamentis accidunt, ſive a deteriore in temperamentum magis ſalutiferum, ſeu in oppoſitas partes deflectant. Hoc autem certò novi, minores in his variationes

teneros

teneros, delicatulos & morbidos afficere, quàm vulgò concludere ſolemus.

Nec ideo me mea fert opinio, ut omnem febrem ab aere ſolo produci exiſtimarem, quippe eas a quàm plurimis cauſis, huic longè diverſis, præcipuè ab erroribus in uſu reliquorum non-naturalium oriri, quotidiana docet experientia. Has verò ipſas, a principiis ut ut remotis productas, ſe Epidemicis regnantibus accommodare, quantum ſinit morbi indoles, omnibus in confeſſo eſt. Unde verò hoc fieret, niſi a cauſâ quâdam generali, tam ſolida quàm fluida, peculiari quâdam ratione mutante, & excitato aliundè ardore febrili morbum ad certam ſpeciem determinante, vix alio ſolvi poteſt. Talem autem cauſam, imò & ſufficientem, ſcimus eſſe aerem; cur verò non latiùs vires extendat

mirabilis temperamentorum diverſitas, quam hactenus obſervarunt medici, aſſertio nimis eſt temeraria, priuſquam de his omnibus, ex fidis experimentis, res clariùs patebit.

Nullus dubito quin medicis ſatis notum eſt, morbos quosdam ſingulares, peculiari modo, ad certas quaſdam anni tempeſtates, præ cæteris, pertinere; etiamſi in omnibus non raro inveniantur. Cujus generis ſunt pleuritides, anginæ, aliique morbi inflammatione conjuncti, qui vernale tempus præ cæteris occupant. Quippe hyemis frigore denſantur fluida, ſtringuntur corporis ſolida, & coarctantur vaſorum canales: adaucto autem in vere calore, rareſcit ſanguis, turgeſcunt vaſa quædam immeabilia, & ſequuntur morbi prædicti. Quibus etiam addi poſſint Febres quartanæ intermittentes, morbus

bus Cholera dictus, aliique ejusmodi morbi Autumnalem tempestatem occupantes. Quorum omnium phænomena a sensilibus aeris qualitatibus deduci possint; qua tamen ratione ex Subtili, nescio qua, Materie, non equidem novi.

Hujus methodi tam veritatem, quàm utilitatem adeo clarè cognovit Hippocrates, ut non solùm totam ferè Aphorismorum sectionem, in iis morbis enumerandis consumpserit, qui particulari quadam ratione certas Anni tempestates occupant; quin eas etiam adjunxit Symptomatum varietates, quas in his, ex variis Aeris temperamentis, profluere expertus novit. His fretus ratiociniis, morbos brevi adventuros prædixit divinus Senex; an autem ad æqualem in his prædicendis Sagacitatem, alii hac methodo etiam ascenderent, non affirmarem; hoc

autem pro certo ponere liceat, quòd ſi hujuſmodi Obſervationes ad hoc uſque tempus, eâdem Fidelitate & Ingenii acumine perductæ fuiſſent, Morborum Epidemicorum naturam a primo exortu clariùs dignoſceremus; in quibus diſcernendis, non parum hæſitant Medici celeberrimi.

Objiciunt quidam Scriptores incauti, tantum dari diſcrimen inter Aeris Græciæ temperamentum & hujus Inſulæ, ut obſervationes ab Hippocrate inſtitutæ prorſùs inutiles Nobis evadant. Hæc autem Aſſertio ignorantiæ aſylum merito nuncupari poteſt, & utcunque primâ facie veritatis ſpeciem præ ſe ferat, falſam eſſe demonſtrabit experientia.

Quamvis enim neceſſariò concedendum eſt, Morbos quoſdam peculiari modo certas Regiones, certaque Climata præ cæteris afficere, & exinde gradu aliquo ab iis, Regiones

nes diverſas occupantibus, diverſos eſſe; quamvis etiam concedendum eſt, quod Obſervationes certâ quâdam regione inſtitutæ, iis in alterâ inſtitutis, quaſi puncto non congruant, maximâ tamen ex parte veræ invenientur; eò quòd, Mutationes in Aere ipſo ad gradus proportionales in Locis utriſque, amborum Incolas ratione proportionali afficere neceſſe eſt. Ut ab effectibus Caloris, Frigoris, aut aliarum aeris qualitatum ſenſibilium etiam ſenſibus apparet.

Ponamus enim, exempli gratiâ Regiones duas ita eſſe ſitas, ut naturalis Aeris Calor unius, Calorem alterius viginti Thermometri gradus, aliave qualibet ratione exſuperet; ex hoc tantùm ſequetur, quod ſubitanea Aeris mutatio vel Frigiditate, vel Caliditate, ad gradus in utriſque proportionales, amborum Incolas,

quatenus ad caloris aut frigoris effectus pertinet, pari modo afficiet; eâdem enim in ratione constringuntur vel laxantur fibræ, densantur vel expanduntur fluida, materiaque perspirabilis gradu proportionali in utrisque afficitur.

Hinc accidit, quod pleuritides, anginæ, dysenteriæ, febres putridæ, continuæ remittentes, & intermittentes in quacunque Regione, omnique Climate inveniuntur; licet a se invicem variationes aliquas patiantur, vel a situ loci, variis Incolarum vivendi modis, particulari constitutionum idiosyncrasiâ, diverso frigoris applicandi more aut gradu, aliisve ejusmodi.

Hoc autem me præ cæteris ratiociniis in hâc stabilit sententiâ, quod eosdem morbos accidisse, easdemque variationes in OEconomia Animali, subitaneum Thermometri ascensum

cenſum vel deſcenſum ad gradus proportionales conſecutas eſſe, comperi; ſeu in Æſtate, vel Hyeme, accidebat hæc aeris variatio. Quod quidem Phænomenon, etiamſi a nullo hactenus prout novi obſervatum, clariſſimè demonſtrat, quòd neque morborum, nec Symptomatum variationes, a gradu Caloris aut Frigoris cuilibet Regioni, aut anni Tempeſtati peculiare, ortæ ſunt; ſed ad majorem in aere mutationem, quam cum ſalute OEconomiæ Animalis, præcipuè corporis morboſi, conſiſtere poteſt, jure ſunt tribuendæ, quouſque ſaltem ex calore aut frigore pendent morborum Variationes.

Præterea ſi Morbos Epidemicos ab Hippocrate deſcriptos ad examen deducamus, aeriſque Temperamenta eos comitantia & antecedentia, cum iis morbis, qui in hac Regione, ſub eiſdem aeris Temperamentis acci-

dunt, comparemus, diſcrimen adeo latum non apparebit, ut ſtabilire conantur Obſervatores hi nimis perfunctorii; & adeo non inutiles ejus Obſervationes æſtimeri debent, ut nullas iis æquales norim, aut me brevi viſurum autumem.

De aeris effectibus præ cæteris omnibus optime judicant ſenſationes noſtræ, quibus ſolis uſus eſt Hippocrates, cum eodem gradu afficitur corpus; etiamſi ulteriorem in his lucem afferant Barometrum, Hygroſcopium, & præ cæteris Thermometrum; eo quod, majores mutationes a caloris frigoriſque variatione ſubit corpus, quàm reliquarum qualitatum. In his tamen non leve diſcrimen adeſt, an cum ſiccitate vel humiditate, minori vel fortiori venti ſpirantis afflatu, conjungatur idem caloris vel frigoris gradus, non tantum ob varium aeris elaterem, quo expan-

expanditur pulmo, & augetur vel diminuitur ſanguinis velocitas, ſed præcipue ob majorem vim qua imprimitur frigus, majoremque aquæ quam aeris denſitatem; quod etiam de Hydrargyro, aliiſque corporibus pro ratione ponderis verum eſt. Hunc vero effectum clarè percipit corpus noſtrum, quamvis ex Thermometro notari nequit; quippe aqua, eundem caloris gradum cum aere ambiente ex Thermometro notans, corpori applicata, ſenſum frigoris, omneſque frigoris effectus ſtatim producit. Pari modo de ventorum afflatibus præcipue fortioribus habenda eſt ratio; fortis quippe venti afflatus, atmoſphæram corporis calidam diſſipando, ſenſum frigidi corpori inducit, quod ex Thermometro obſervari nequit. Hoc enim licèt minoris majoriſve venti afflatui expoſitum, cæteris pa-

ribus, nullam inde ſubit mutationem, licèt reale frigus percipiat corpus. Ideoque quamvis ex his inſtrumentis, cum ſenſationibus noſtris comparatis, certiores & elegantiores fiant obſervationes, quàm ex ſolâ ſenſuum ope expectare licet, cum ſenſibus tamen noſtris accuratè congruere nequeunt, fientque revera ſecundum ſenſationes noſtras in corpore mutationes. Conſtrictâ nempe parte aliquâ, citatiori fluxu in loca vicina propelletur ſanguis, ibique diſtentiones, defluxiones, morboſque omnes inde pendentes producet. Hoc noſſe Hippocratem ex ſcriptis patet, & proinde cum ex his cauſis oriuntur, & in æternum orituri ſunt morbi, vere monebunt ſapientes ejus obſervationes.

Incertum Aeris in hac Inſula temperamentum in cauſâ eſt, quod hujuſmodi Obſervationes in Methodum generalem, aſſiduo ſine labore, longâque

longâque Obſervationum ſerie nequaquam reduci poſſunt, & hoc majori ratione, quàm in iis Regionibus, quæ ſtabiliori Aeris Temperamento gaudent; quod tamen operæ pretium non ſit, ex hac aſſertione vix colligi poteſt.

Frequentes etiam aeris in hac Inſulâ variationes, ad hanc obſervandi incuriam plurimùm contuliſſe nullus dubito. Corpora enim noſtra Mutationibus his adeo ſunt aſſueta, ut familiares fiunt, & vel prorſus negliguntur, aut ſaltem minimi momenti æſtimantur, malaque hoc ex fonte orientia, Cauſis longe remotioribus, minuſque validis non rarò tribuuntur.

Obſervavi ſupra quod Hippocrates non tantùm aeris Temperamenta Morbos regnantes comitantia, ſed iis etiam antecedentia frequenter deſcribit, & nonnunquam præcipuas

Aeris

Aeris Variationes per totius Anni tractum, antequam ad morbos tum grassantes delineandos se accingat, quæ Methodus observatu admodum est necessaria; quippe hujus ope, ad statum tam Fluidorum, quam Solidorum, rite intelligendum, quasi manu deducimur. Datis enim Temperamenti antecedentis æquè ac præsentis Effectibus, Humorum status non tantùm clariùs apparet, sed harum Mutationum causæ primariæ, fere ad sensum demonstrantur.

Observatu etiam non est indignum, quod Morbi, qui clarissimè ab aeris temperamentis profluunt, seipsos frequentèr non ostendunt, priusquam in aliam commutatur aeris Temperies. Quod quidem Phænomenon, Successiones eorum inter se invicem comparandi necessitatem demonstrat, eo quod, hos morbos

morbos, tam a prægressa aeris temperie, quàm à variis plurimarum inter se invicem combinationibus mutationes subire ostendit. An autem his, vel aliis cujuscunque generis causis, tribuendæ sunt eorum variationes, aliis tractandum relinquam; & multo minus, de causis epidemicorum originalibus, hic sermonem instituam; quippe ad hæc stabilienda desunt observationes, & res ipsas agito, non hypotheses fingo.

Quæstiones quasdam, lector benevole, numeris in textu respondentes, in margine invenies, quas inserere non prorsus inutile duxi; quoniam in hujusmodi observationibus instituendis, eas aliis ansam præbere posse existimo; & etiam quod in praxi, saltem minus expertis, forsan sint emolumento. Has autem nonut veritates certas & fidas, sed tantum

tantum ut effectus, obſervatu non prorſus indignos, & probabiliter ex cauſis ibidem deſcriptis orientes, propono.

Nullos ſingulares Ægrorum caſus adjeci; quippe ſi omnes enumeraſſem, eoſque ſingulis annis inter ſe comparaſſem, in immenſum aſſurrexiſſet libri moles; ſi autem paucos quoſdam ſelegiſſem, nihil ex his de morborum ſpeciebus, variiſque eorum phænomenis, in ſingulis annis apparentibus, concludere potuiſſet lector.



Com-



COMMENTARIUM

NOSOLOGICUM.

Empeſtas brumalis anni 1715 admodum fuit frigida, largâ nivis copiâ, & extremo gelu conjuncta. Duravit hæc aeris temperies per ſex hebdomadas, ſpirantibus ventis ut plurimùm ex plagis auſtralibus. Annus 1715

Spiritus in thermometro meo uſque ad gradus 90 deſcendebat, quod in nullâ aliâ tempeſtate, a me hactenus obſervatâ novi; rariſſime enim ultra 84 vel 85 deſcendit. Mercurius etiam in barometro altiſſimè

tiſſimè aſſurgebat; durante enim gelu prope $\frac{2}{10}$ pollicis partes altiùs perſtitit, quàm in aliis, etiam ſicciſſimis quas novi, tempeſtatibus.

Sæviente gelu graſſabantur morbi inflammatorii, præcipuè pleuritides, anginæ, rheumatiſmi, dolore acuto, & pulſu duro conjuncti. Sanguis in hujuſmodi morbis plurimùm fuit inflammatus & pelliculâ craſſâ obductus, neque ſine largâ ejus miſſione, eâque pluriès repetitâ levabantur Ægri.

Qui morbo quolibet diuturno laborabant, hoc tempore male ſe habebant, præſertim vero Phthiſici & Tabidi; augebantur enim tuſſis & ſpirandi difficultas, excruciabant etiam eos dolores pleuritici, alvique fluxus inſanabilis.

Reſoluto autem in *Februario* gelu, non parum augebatur ex morbis inflammatoriis ægrorum numerus, & ſymp-

ſymptomata acriora fiebant. Tabidis etiam admodum exitialis evaſit hæc aeris mutatio; augebantur enim plurimis diarrhœæ, & perierunt multi. Alii etiam cujuſcunque generis languidi, a cœli variatione non parum patiebantur, & alvi fluore, inteſtinorum doloribus, urinæ difficultatibus, ſymptomatibus aſthmaticis, hyſtericis, & hypochondriacis præ cæteris laborabant; quæ omnia, in iis quibus ſufficiebant vires, paucis evanuêre diebus; aliis verò, vel ſtatim fuerunt exitialia, aut ex virium collapſu prava induxerunt ſymptomata. (1). (2). (3).

Hoc

QUÆST. (1). Subſidebat Mercurius duos pollices circa gelu diſſolutionem, & aſcendebat in thermometro ſpiritus gradus viginti; hanc aeris variationem notabilis humorum turgeſcentia fuit comitata, quæ ſomnolentiâ, alvi fluore, doloribus arthriticis, & rheumaticis, tam vagis quam fixis, & in quibuſdam nervorum reſolutione & apoplexiis morbiſque jamjam deſcriptis, ſe

Hoc tempore plurimùm grassabantur variolæ, Confluentes fuerunt & moris maligni, & hoc, maximo gradu durante extrema frigiditate.

Duraverunt prædicti morbi inflammatorii per totam tempestatem vernalem, approqinquante autem Æstate rariores fiebant. Variolæ etiam grassabantur, & confluentes plerumque fuerunt, minori tamen gradu quàm in hyeme præcedente.

Annus 1716 Æstiva tempestas anni 1716 ad caliditatem vergebat, non tamen

se palam faciebat. Quæritur itaque an subitanea humorum rarefactio, a diminuto atmosphæræ pondere, & aucto calore in gelu solutione producta, horum effectuum non fuit causa primaria?

QUÆST. (2). An morbi hujusmodi crisin quandam non sunt æmulati; natura per has vias nimiam humorum copiam, & in vasa pressuram, excludere moliente?

QUÆST. (3). Annon itaque ex evacuationibus pro morborum variatione institutis, præ cæteris, petenda sanatio?

æquè

æquè fuit calida, ac æſtates quædam ſubſequentes, ſpirantibus plerumque ventis ex plagis occidentalibus.

Morbi hac tempeſtate vigentes fuêre Febres quædam continuæ Remittentes, a Græcis συνεχεῖς dictæ, & Febres languidæ nervoſæ.

Cutis in prioribus aſpera fuit & ſolito ſiccior, pulſus durus, & ſanguis pleuriticorum more inflammatus. Parum admodum ſudabant, at delirabant frequenter ægri, præſertim in remittentium paroxyſmis. Nonnulli etiam in initio diarrhœis & vomitu, doloribus pleuriticis & rheumaticis affecti ſunt; quæ omnia miſſione ſanguinis, Emetico leni, & diluentibus antiphlogiſticis, pro re nata inſtitutis, levabantur. Circa autem diem decimum quartum hæ Febres per ſudores judicatæ ſunt; & vel ex toto ceſſabant; vel in In-

termittentes tertianas convertebantur.

In Febribus nervoſis diutiùs ægrotabant, pulſus celer fuit & debilis, cutis ſicca & aſpera, quod poſtremum in his morbis frequenter aliter accidit, ob ſudores partiales & erraticos his Febribus, aliis ſæpiùs, ſupervenientes.

Duraverunt etiam variolæ per totam æſtatem uſque ad autumnum, ſenſim tamen decrevit malignitas; Hyeme tamen ſequenti evanuerunt, permanentibus adhuc febribus nuperrimè deſcriptis.

Hyems proxime ſubſequens, viz. anni 1716, circa finem frigida fuit & geloſa, minori tamen gradu quàm in anno prædicto. Subſidebat enim thermometri ſpiritus tantum ad gradus 84, durante maxima hujus tempeſtatis frigiditate.

Frigidâ hac temperie, iidem ferè morbi ac in hyeme præcedente ſe

oſtendebant

oſtendebant, tam durante gelu, quàm circa ejus ſolutionem; ſymptomata tamen mitiora fuerunt, & numerus Ægrotantium minor (4).

Æſtas anni ſubſequentis, viz. 1717, calida fuit & ſicca circa mediam ejus partem, ſpirantibus, ut plurimùm, ventis ex Plagis quibuſdam Auſtralibus & Occidentalibus. Annus 1717.

Hoc anno, præ cæteris morbis, graſſabantur febres Remittentes & Intermittentes, præcipuè tamen priores, & hoc majori numero quàm in anno præcedente. In morbi initio remiſſionem aliquam vix ſenſerunt Ægri; *συνόχοις* enim quam maximè ſimiles fuerunt; paucis ta-

QUÆST. 4. Annon major villorum contractio & fluidorum inſpiſſatio, in anno proximè elapſo, ob extremam Hyemis Frigiditatem, in Causâ ſint, quod hujuſmodi Morbi acriores & frequentiores in illâ, quàm hac Tempeſtate evaderent? Et annon horum effectuum ratio a natura Aeris, Caloris, & Frigoris ſatis patet?

 men

men elapſis diebus, nunc per alvum, nunc per meatus cutaneos, imperfecta ſuccedebat Criſis, & vel ad intermittentium vel remittentium exclaſſem pertinere ſe oſtendebant.

Urina ante Criſin excreta plerumque flammea fuit, & ſedimenti expers, nonnunquam turbida; Criſi tamen finitâ, ſedimentum ad lateritium inclinans deponebat, coloris autem pallidioris & ad Flavedinem accedentis.

Autumnus ſubſequens humidus fuit & frigidus, ſpirantibus frequenter ventis ſeptentrionalibus.

Graſſabantur adhuc morbi prædicti, & accedebant Diarrhœæ quædam & Dyſenteriæ febre lentâ conjunctæ, quæ ægros morbis deſcriptis laborantes malè afficiebant, ſpiritus proſtrabant, & morbi tædium augebant.

Hyems

Hyemis proximè ſubſequens acri gelu, & nive multâ circa medium comitata fuit, ſpirantibus ut plurimùm ventis, vel ex plagis orientalibus, vel ſeptentrionalibus.

Durante gelidâ tempeſtate, iidem fere morbi apparuêre, ac in Hyeme præcedenti, & manſerunt adhuc, licet non admodùm frequentes, συνεχεῖς deſcriptæ.

Æſtiva Tempeſtas anni 1718 calida fuit & ſicca, præcipùe in Julio & Auguſto, quæ aeris temperies per totum Autumnum permanſit, ratione habitâ ad neceſſarias anni variationes; ſpirantibus ventis ex plagis auſtralibus & occidentalibus. Annus 1718.

Hac Æſtate erupit Febris putrida a Græcis σύνοχος dicta, ſymptomatibus mali moris comitata. Cùm autem Ægrorum de hoc morbo numerus, anno ſubſequente plurimùm

augebatur, deſcriptionem ejus ad eum remittam.

Graſſabantur adhuc febres Remittentes, paroxyſmis autem magis incertis, & ſymptomatibus acrioribus conjunctæ.

Hæ per totam Hyemem manſerunt, & frequentius quàm præcedente apparebant, licèt non paucæ hyemis frigore in intermittentes convertebantur. Graſſabantur etiam plurimùm intermittentes tertianæ per totam hanc anni tempeſtatem Paroxyſmis regularibus comitatæ; ſenſim tamen veris initio intervallis minus certis redire incipiebant paroxyſmi, & augebatur pro ratione æſtatis appropinquantis remittentium numerus uſque ad calidam Æſtatis ſubſequentis temperiem.

Annus 1719. Æſtas anni 1719, non ſolùm omnes alias a me hactenùs obſervatas Caliditate ſuperabat, ſed etiam, majorem, magiſque ſubitaneam in tempe-

temperamento paſſa eſt Variationem, quàm in aliâ qualibet obſervavi.

Duraverunt Calores ab initio menſis Maii uſque ad Julii medium, fuitque ſiccitas aeris magna. Parùm admodùm ſpirabant per totam hanc periodum Venti; qui tamen apparebant, ex plagis Auſtralibus veniebant; manente tum Thermometro ad gradum 17. His ita ſe habentibus, ſubitò accidebat ingens Cœli Variatio; ſpirabant enim fortitèr venti Boreales, decidebant pluviæ quædam frigidæ, & 48 horarum ſpatio ſubſidebat ſpiritus uſque ad gradum 45, quæ longè maxima eſt variatio, quàm in eodem temporis Intervallo unquam novi.

Gradus autem frigoris, quo afficiebantur Animalium corpora, a vento tum fortiter ſpirante, longè major æſtimari debet, quàm monſtravit Thermometrum, ob rationes

ſupra allatas; licèt vix accuratè æſtimari poteſt.

Duravit hæc frigida aeris temperies vix ultra duas hebdomadas, & ſubitò redibat Calor; qui per reliquam Æſtatis partem & autumni initium perdurabat; & manebat aer calidus ratione habitâ ad anni tempus, uſque ad initium Novembris; Hyemſque tota ſolito ſiccior & calidior fuit.

Morbi qui durante calore apparebant, fuêre febres putridæ, & continuæ remittentes & intermittentes, hæmorrhagiæ largæ ſpontaneæ, ſanguinis expuitiones, ejuſdem vomitiones, aliique ejuſmodi. Mutato autem cœli temperamento per Frigoris acceſſionem, ſuccedebant ſtatim alvi fluores, vomitiones, inteſtinorum dolores, eorundem inflammationes, ſanguinis per alvum excretiones, aliaque ejuſmodi. Quæ omnia

omnia, redeunte aere ad priorem caliditatem, brevi ceſſabant. Qui Febribus ſupra numeratis hoc tempore laborabant, diarrhœis & torminibus multum vexabantur; ruebant enim humores, qui durante calore per ſudorem fuerunt eliminati, ſummo cum impetu per alvum circa tempus Criſeos, & proſtratis viribus perierunt Ægri.

Ceſſante frigiditate, ſubitò redivit calida temperies, & adauctis viribus graſſabantur febris putrida & continuæ remittentes. Hoc autem notatu non eſt indignum, quod paulo ante criſin ad Diarrhœas magis proni fuerunt Ægri, quàm ante Frigiditatis acceſſum; licet rarò per has vias judicata fuit febris (5).

QUÆST. 5. Annon ſubitanea Frigiditatis Acceſſio, Fibras Corporis, præcipuè cutaneas, conſtringendo, & Humores ad partes interiores repellendo, ad effectum hunc producendum non parùm conduceret?

Harum

Harum prior, viz. febris putrida, hoc anno primò in menſe Maio, ſe palam faciebat, & in Julio ad ἀκμὴν pervenit, quo ſtatu per totum Auguſtum duravit, ægroſque multos e medio ſuſtulit.

Acceſſit hæc Febris cum rigore, nauſeâ, vomitu bilioſæ materiæ, alterniſque frigoris & caloris reditibus. His conjunctæ fuerunt ingens laſſitudo totius corporis, & ſenſatio quaſi maximi ponderis humeros & dorſum comprimentis. His ſuccedebant ſitis & calor pungens, lingua arida & fuſca, nonnunquam nigra. Ægri his ſymptomatibus plurimùm excruciati, parùm dormiebant, non ſudabant, continuò ferè delirabant. Anxietate & inquietudine ſummâ vexati, perpetuò ſe per lecta commovebant. Circa diem duodecimum non paucis oborta eſt Diarrhœa, vires proſternens, ſymptomata

ta

ta raró allevans; & hoc etiamſi in morbi acceſſu Emeticum ſumpſiſſent ægri, ut monet Sydenhamus. Rubebant enim plerumque humores tali copia ex improviſo per alvum, ac ægrorum viribus prorſus impar fuit. Alió autem iis res ſucceſſit, quibus lentè per totum morbi decurſum alvus fluebat. Quamvis enim raro per has vias judicationem paſſa eſt febris, hos tamen minus urgebant calor, inquietudo & delirium; neque criſi obſtabat talis evacuatio, quin potius, ſymptomata leniendo, citius induxit; quæ plerumque circa decimum ſextum, ab initio febris, diem, exorto ſudore morbum ſolvit.

Pulſus plerumque creberrimus fuit, raró fortis; cutis aſpera; urina rubra, & ſedimenti expers; judicatâ autem per Diaphoreſin febre, ſedimentum fuſcum depoſuit.

Sanguis

Sanguis ex Venis in initio morbi missus admodum rutilus fuit & dissolutus, adeoque parte serosâ commixtus fuit Cruor, ut sanguini ex Arteriis misso non fuit absimilis (6).

Horum quidam Ptyalismo per totum morbi decursum affecti sunt, qui omnes, quos ipse vidi, sanabantur, & reliqua symptomata aliis ægris mitiora habebant.

Hujusmodi symptomata robustos & exercitatos, præ cæteris, occupabant; qui vero laxi fuerunt temperamenti, imbecilles, Hysterici & cachectici, tremore, spasmis, & delirio affecti

QUÆST. 6. Annon Fluor hic Sanguinis naturali major, ab actione particularum Caloris, hoc in anno magis quàm aliis vigentium, oriri posset. Et annon ab eadem causa diathesin sanguini magis putridam induci necesse est? Annon etiam reliqua hujus morbi symptomata, dissolutum hunc sanguinem valdè acrem, & in extrema vascula plus justo impulsum esse demonstrant?

sunt;

ſunt; dum alii ob ſummam virium proſtrationem, ſpirituumque dejectionem, quaſi ſtupidi jacebant, urinas & ſtercora involuntariè emittentes; exſuſcitati tamen delirabant. (7) In his, ultra viceſimum diem, plerumque protracta fuit Febris, quæ in paucis quibuſdam, ſine Criſi manifeſtâ terminata eſt; his autem admodum tarda accidit Sanatio.

Variantibus hoc modo in Ægris diverſis, ſymptomatibus, neceſſariò variationem ſubiit Medela. Hæc autem obſervatu non prorsùs indigna videntur.

In Ægris prioris generis, frigidiori Regimine & largiori Diluentium copiâ neceſſariò uti oportebat, quàm

QUÆST. 7. Annon Materiæ perſpirabilis, majori copiâ hoc anno quàm aliis, Excretio, ſanguinis & liquidi nervoſi copiam ita diminueret, & indè in ſolidas corporis partes debilitatem induceret, ut in ægris hujuſmodi hiſce Symptomatibus anſam præberet?

in iis, qui iiſdem ſymptomatibus aliis annis laborabant. Et etiam ubicunque Alexipharmacorum uſus neceſſariò poſtulabant ægrorum ſtatus, minor ſufficiebat medicamenti Doſis, quam vulgò exhiberi ſolet.

Pauci admodum ægri quamlibet Opii vel doſin, vel medicamentum ex eo confectum ſine delirii incremento ſumere valebant. Diacodiata tamen, & anodyna mitiora, plenâ manu, largâque diluentium copiâ exhibita, ſummo fuerunt ægrotis emolumento (8).

Præter Febrem jam deſcriptam graſſabantur febres continuæ remittentes, præcipuè circa Autumni in-

QUÆST. 8. Annon hic effectus ad majorem hanc ſanguinis diſſolutionem meritò tribuendus, quàm opiata præ cæteris ferè omnibus promovent? Et annon indè patet, cur Diacodiata, Emulſiones, aliaque ejuſmodi, quæ blandis & mucoſis æquè ac ſoporiferis ſaturantur particulis, tanto eſſent ægris emolumento?

itium

itium, paulò poſt quod Tempus vel evanuit Σύνοχος, vel in remittentes commutatus fuit. Quod poſtremum quidem probabilius eſt; eo quod hæ Febres iiſdem ſymptomatibus in morbi ingreſſu ægros afficiebant, quibus febris putrida; quæ tamen paucis elapſis diebus, per vices, licèt irregulares, remittebant. Paroxyſmi acriores ut plurimùm fuêre, quàm vulgò in remittentibus inveniuntur, & frequentèr delirio comitati. Paroxyſmis rariſſimè præcedebant rigor & frigus febrile, etiam in iis ægris, quibus febris inſultus certis rediit intervallis: Et quibus frigoris acceſſio quædam comitata fuit, brevi ſoluta eſt. Circa autem Hyemis initium in febres intermittentes, frigore leni comitatas, converſæ ſunt; redeuntibus tam per Æſtatem, quàm per Hyemem, quotidie paroxyſmis.

Hic

Hic annus majori Maniacorum numero comitatus fuit, quàm in annis communibus accidit, (9) alioſque omnes quos novi, tam in ægrorum numero, quàm ſymptomatum ſævitie, ſuperavit.

Annus 1720

Annus ſubſequens, viz. 1720. majori Siccitate conjunctus fuit, quàm annis huic Inſulæ communibus invenitur, caliditati tamen in proximo elapſo nequaquàm æqualis erat.

Febres hoc Anno graſſantes remittentes fuere & intermittentes ejuſdem ferè generis, ac in anni prioris declinatione numeravimus. Per dies enim aliquos non remittebant, & delirabant ægri in Paroxyſmis. In his autem iis dif-

QUÆST. 9. Annon Calor hujus anni major illo, qui huic Inſulæ familiaris eſt, humores attenuando, liquida, lenia & aquoſa exhalando, acrimoniam augendo, fibraſque corporis exſiccando, ad hunc effectum producendum non parum conduceret?

ferre videbantur, quod certioribus temporis intervallis redierunt paroxyſmi, & tertianæ plerumque fuerunt febres, ſeu potius iſtius generis quod ἡμιτριταῖον appellant Græci; diu enim ægro durabant paroxyſmi, brevique redibant, nec unquam ex toto ceſſavit febris. Durante etiam paroxyſmo de ventriculi angore, ægritudine, & nauſeâ magis conqueſti ſunt, & vomitione frequentiùs affecti ſunt, præſertim in initio paroxyſmi. Quæ ſymptomata duraverunt, quouſque ſudoris eruptio & iis & paroxyſmo finem impoſuit. Hoc vero finito per paucas horas miteſcebat vigor febris, & levamen aliquod ægris conceſſit, ἀπυρεξίαν tamen perfectam nequaquam experti ſunt.

Sitis & Calor in hoc, quam anno proximè elapſo, mitiores fuêre; lingua primùm albeſcebat, dein fuſca evaſit. Paroxyſmi autem diù

durabant, & ad horas quadraginta non raro extenſi fuerunt.

Urina in remittentibus turbidior fuit & flavedine majori tincta quam in anno præcedente; & ſedimentum copioſum, ſubalbidum, ad flavedinem autem accedens, depoſuit. In intermittentibus lateritium fuit ſedimentum. (10) (11)

Præter has graſſabantur ſparſim febres quædam putridæ, anno præ-

QUÆST. 10. Annon ſtatus humorum corporis in hoc anno, febrem putridam ſuccedente, eorum ſtatui, in anno febri Putridæ præcedenti, fuit quam ſimillimus?

QUÆST. 11. Annon igitur Siccitas & Calor duorum annorum febri putridæ præcedentium, adeo humorum acrimoniam & putredinem augerent, ut loco Remittentium in ægris quibuſdam συνοχὸν producerent; eoque præcipue, cùm eâdem ratione increvit Calor & febris Putrida, cùm ſummo durante Calore maxime graſſabatur, & diminuto calore ſenſim evanuit? Et annon tam ex his, quàm ab animalibus in aere ſicco & calido diu retentis, effectus talis temperiei in humoribus putrefaciendis, & teterrimis morbis producendis, ſatis patet?

cedenti

cedenti deſcriptis mitiores, frequentiùs tamen languidæ & nervoſæ, quæ vertigine, ſtupore, & nervorum tremoribus conjunctæ, eos, præ cæteris, occupabant qui laxi, imbecillis, & hyſterici fuerunt temperamenti. Hæ febres Pulſu celeri & debili; Urinâ tenui, pallidâ & crudâ, & nonnunquam Diarrhœâ conjunctæ ſunt. Horum Linguæ plerumque ſubalbidæ fuerunt, raro ſiccæ; neque multùm ſitiebant Ægri; Sudoribus tamen partium quarundam ſingularium valdè fuerunt obnoxii, maximè circa capitis, cervicis, & thoracis regiones. In his duravit febris uſque ad viceſimum diem, aliquando diutiùs, & exorto ſudore per totum corpus, ut plurimùm, judicata eſt: In quibuſdam tamen in intermittentes convertebantur. His plurimùm proficiebant veſicatoria,

cardiaca, & diaphoretica. (12.) (13.) (14.)

Annus 1721. Annus ſubſequens, viz. 1721, admodum fuit humidus, frigidus, pluvioſus, præſertim in menſibus æſtivis, ſpirantibus ventis ex plagis borealibus.

QUÆST. 12. Annon Calor duorum annorum prægreſſorum, vaſculorum perſpirabilum ora nimis laxando, & humores colliquando, ad ſudores hos partiales producendos, conduceret; eoque præcipuè, quod eas Corporis partes, præ cæteris occupabant, quibus ſanguinis impetus & fluiditas maximo gradu vigent?

QUÆST. 13. Annon etiam hinc patet ratio, cur hujuſmodi febres multò frequentiores in Æſtate, quàm Hyeme inveniuntur? Et annon indoles Febris in anno 1716, cutis aſperitate & ſiccitate, cruoris inflammatione, aliiſque ſymptomatibus ejus anni Diagnoſticis, conjunctæ, ex frigiditate Hyemis in 1715, aliquo gradu penderet?

QUÆST. 14. Annon, ſummum ab Epiſpaſticis oriens emolumentum in morbis hujuſmodi inde producitur, quod ſanguinem attenuando vaſa nimis repleta reficiunt, vi ſua ſtimulatoria vaſorum tunicas ita conſtringunt, ut conſervetur inter ſolida & fluida æquilibrium, & inde liquidorum motum ferè amiſſum inſtaurant?

Hæc

Hæc aeris temperies uſque ad initium *Septembris* duravit, ex quo, uſque ad *Novembris* initium, tepidum & placidum fuit cœlum; Hyemſque tota lenis erat, & pauco gelu comitata.

Febres hoc anno graſſantes, etiamſi ad intermittentium claſſem pertinebant, ab iis anni prioris differebant; eo quod Frigore majori & longiori, Calore leniori & breviori comitatæ erant; Ἀπυρεξία etiam perfectâ in paroxyſmorum intervallis fruebantur ægri & in paroxyſmis non delirabant; alvi tamen Fluoribus magis erant proclives. Urina etiam Rubedine majori tincta fuit, & ſedimentum lateritium depoſuit. (15)

QUÆST. 15. Annon major aeris humiditas & frigus, in hoc, quàm anno præcedente, viſcoſitatem majorem, minori acrimoniâ conjunctam, humoribus inducerent; & inde mutationes has in his febribus producerent?

Præter has apparebant febres quædam lentæ nervoſæ, virium collapſu, ſpirituum dejectione, ſtupore & ſurditate conjunctæ, iiſque anno præcedenti graſſantibus non abſimiles; niſi quod ægri parùm ſudabant, & rarò criſi ullâ ſenſibili terminatæ ſunt hæ febres, ſed poſt toleratum morbi decurſum diuturnum, ægri ſensìm convaleſcebant, & pauci perierunt. (16)

In menſe *Aprili* graſſari incipiebant Morbilli & per totam Æſtatem permanebant. Moris pelrumque fuerunt maligni, tuſſi continuâ, ſpirandi difficultate & pulmonum inflammatione conjuncti.

QUÆST. 16. Annon abſentia ſudorum partialium, ab iis aeris mutationibus pendere poſſet, quæ in Quæſt. præcedente numerantur? Et etiam annon ex eâdem causâ oriri poteſt, quod ſudoribus, ut in anno priori, hæ febres non æquè fuerunt judicatæ?

Vernalis

Vernalis tempeſtas Anni 1722, admodum fuit frigida, aquoſa, pluvioſa, variiſque ventis turbata, præcipuè tamen ab iis, qui ex plagis ſeptentrionalibus & orientalibus proveniunt. Duravit hæc aeris conſtitutio uſque ad medium æſtatis, eo modo, ut totum æſtatis initium majori frigore fuit comitatum, quam vulgò in iſto anni tempore accidere ſolet. Morbi in hujus tempeſtatis initio graſſantes, fuere pleuritides quædam & anginæ, non admodum autem frequentes; præ cæteris tamen graſſabantur febres intermittentes tertianæ, inter quas apparebant quædam Quartanæ, præſertìm in iis ægris qui frequentèr in Tertianas illapſi ſunt. Annus 1722.

Non æquè felici ſucceſſu febres has jugulavit Cortex Peruvianus, in hoc anno, ut in aliis novi, ob alvi fluxus frequentèr ejus uſui ſuperve-

nientes. Et cum nullum hujuſmodi accidit impedimentum, medicamenti vires non rarò eluſit Febris; alexipharmacis tamen & diaphoreticis conjunctum feliciori ſucceſſu exhibitum fuit Pharmacum. (17)

Emetica & diaphoretica frequenter repetita, plurimis fuerunt ægris emolumento; quorum uſu non pauci ſanabantur, poſtquam medelæ methodos magis uſitatas eluſiſſent vires febris. (18)

Præter hos autem alvi fluxus febres intermittentes comitantes, a Diarrhœis ſolis vexati ſunt aliqui:

QUÆST. 17. Annon frigiditas & humiditas aeris, in hoc, quàm priori anno majores, humorum viſcoſitatem augendo, & vaſa infarciendo perſpirabilia, in cauſis ſint, quod febres remittentes anno priori deſcriptæ, in has Intermittentes converterentur? Et annon hinc patet ratio, cur medicamenta calefacientia cum Cortice exhibita, vires ejus augerent?

QUÆST. 18. Annon hujus ratio ex Quæſtione præcedente ſatis patet?

Hæ

Hæ tamen neque ſanatu erant difficiles, nec quicquàm obſervatu dignum in ſymptomatibus habuerunt.

Intermittentes hunc & priorem annum comitantes, prout ante memoravi tertiani plerumque fuerunt generis; circa autem hujus Autumni finem, in Quartanas non paucæ commutatæ ſunt; quæ poſtquàm per totam hyemem frequentibus morbi reditibus ægros excruciaſſent, vere ſequenti prorsùs evanuêre. (19)

Hyems hæc acris fuit & ſicca, ſpirantibus, præ cæteris, ventis orientalibus & ſeptentrionalibus, præcipue circa finem; qui ſtatus aeris per

QUÆST. 19. An febres intermittentes quartanæ ab aliis febribus intermittentibus naturâ & eſſentiâ ſunt diverſæ, ut quidam hallucinati ſunt? Et annon potius a majori humorum viſcoſitate, vaſorum infarctione, & torpidiore fibrarum vibratione petendæ ſunt horum morborum differentiæ?

totam

totam tempestatem vernalem duravit.

Quamvis autem morbi Epidemici supra descripti præ cæteris omnibus grassabantur, Sporadici tamen & Intercurrentes non pauci apparebant, ut etiam ii, qui ab anni tempestatibus certo quodam modo pendent, & Vernale & Autumnale tempus comitantur; qui quidem omnes morbi, etiamsi ab Epidemicis tum regnantibus in initio longe discrepantes videbantur, paucis tamen elapsis diebus, & præcipue præmissis generalibus Evacuationibus, in Epidemicos regnantes terminati sunt; & ratione habitâ ad symptomatum principalium varietatem, eodem modo sanabantur, Hoc autem præcipuè accidit duobus annis proximè elapsis, quibus grassabantur febres intermittentes Tertianæ, quarum paroxysmi certioribus intervallis, quam in

in annis præcedentibus redierunt. Unde forsàn accidit, quod in his non ſolùm clariùs patebat hic morborum in ſe mutuò tranſitus; quinetiam, quod breviori temporis ſpatio, naturam eorum latentem ita palam fecerunt, ut ad intermittentium claſſem certiùs reduci poſſent. (20)

Frequentes horum morborum reditus, multos, eoſque pertinaces Morbos, viſceribus induxerunt, præcipuè inter Plebem, ubi deſiit vel cura morbi, vel medendi opportunitas. Hos præ cæteris morbis afficiebant

QUÆST. 20. Annon itaque graſſante febre qualibet Epidemicâ, ſymptomata aliarum febrium tunc temporis apparentium cum epidemico regnante diligentèr ſunt comparanda, & quantum indolis epidemicæ in ſe habeant seriò perpendenda? Quippe cùm ex ſtatu aeris præqreſſo, vel præſenti, plurimum pendent, qui utriſque communis eſt, fieri non poteſt, quin in multis ad morbi eſſentiam pertinentibus, ſibi mutuo congruant; etiamſi ſpecie diverſi nonnunquam appareant.

ficiebant hydrops, icterus, & phthisis, & præcipuè iſta hydropis ſpecies, quam Aſciten nominamus, de quo morbo plures circa hoc tempus quam in omnibus prægreſſis aeris temperamentis ſimul ſumptis ægrotarunt, cujus effectus rationem, ex lenta liquidorum in hoc morbo Diatheſi, laxâ viſcerum & vaſorum abdominalium texturâ, & ingenti liquidorum copiâ vi febris hic adactorum, ſatis docet Hydraulices. Hinc patet eorum Error, qui Corticem Peruvianum, quaſi præcipuam horum morborum cauſam, in his ægris, damnant; eò quòd, non ſolum diù ante quàm notum eſt hoc Pharmacum, tales morbi diuturnis intermittentibus ſuccedebant; quinetiam quòd hoc tempore eos præ cæteris infeſtabant, qui Corticem vel non omnino, vel minimâ tantùm copiâ ſumpſiſſent, ejuſque defectu intermittentium inſultus

ſultus diutiùs ſuſtinuiſſent; dum e contra ægri, quibus ejus ope cito profligata fuit febris, immunes plerumque manebant. Dari quidem caſus, etiam in intermittentibus, quibus vel ex toto, vel ſaltem pro tempore, parum convenit hoc remedium, nemo eſt qui non novit; cur tamen imperitè præſcribentis ſemper pœnas luat nobile Pharmacum non æquè patet.

Æſtas proximè ſubſequens, viz. Anni 1723, admodum fuit ſicca, Calore tamen ſiccitati proportionali nequaquam fuit comitata: Eo quod radii ſolares plerumque nubibus fuerunt obducti, & aeris calor ventis ſeptentrionalibus, & orientalibus, præcipuè tamen poſterioribus, erat refrigeratus. Annus 1723.

Hæc aeris temperies per totum Autumnum ſubſequentem, & Hyemis initium, ratione habitâ ad ne-

ceſſarias

cessarias tempestatum variationes perdurabat; adeò ut tota hæc temperies, quasi temperamentum aeris Orientale, majori Siccitate, & caliditate minori, quàm vulgò accidit, conjunctum, meritò æstimari debet.

In tempestate vernali grassari incipiebant Variolæ, & per totam æstatem duraverunt; confluentes plerumque fuerunt & moris maligni, & in nonnullis maculis purpureis comitatæ. Hæ nil novi quod addam earum historiæ exhibuerunt, nisi notatu dignum sit, quod ægri qui modico & spontaneo alvi fluore per totum morbi decursum afficiebantur, symptomatibus lenioribus, ut plurimùm, laborabant; Et ubicunque deficiebat hic alvi fluxus, medicamenta antiphlogistica alvum laxantia, clysmata diluentia, aliaque similia, hujus defectum felici successu suppleverunt,

&

& ſymptomatum maxime urgentium remiſſione fuerunt conjunctæ; ob diminutam forſan inflammationem, ſuppurationem, aut copiam pituitæ craſſæ reſpirationem impedientem.

Jure quidem horrent medici diarrhœam vires proſternentem, ptyaliſmum ſiſtentem, faciei & extremorum tumefactionem impedientem; hunc vero effectum a tali alvi ſolutione ortum, me nunquam obſervaſſe memini, ſed e contra, Juvenibus ſanguinolentis, ætate & viribus florentibus, hanc praxin ſæpe utilem novi; dum immanes febris inſultus ab alvo, in morbi decurſu, pertinaciter aſtricta, turgentem humorum colluviem intus retinente, non raro productos vidi: Imo lethales alvi fluores, quibus aſtricto ventre, occurrere conantur medici, hinc

hinc aliquando ortos fuiſſe, non levis mihi incidit ſuſpicio. In tali quippe corporis ſtatu, accedente, a cauſa quacunque, ſtimulo leniſſimo inteſtinorum tunicas vellicante, pleno rivo, quà datur porta, ſummo cùm ægri periculo, expelli humores neceſſe eſt. Locum præcipuè habere videtur hæc praxis eo morbi genere, eove ſtadio quo nimis viget, aut plus juſto creſcit inflammatio, cùm pro hujus ratione in morbi decurſu, cætera leniora, vel graviora fieri, ſymptomata, res ipſa clamat.

Doloribus etiam pleuriticis & acerrimorum nephriticorum æmulis ante puſtularum eruptionem non pauci afficiebantur varioloſi ; & ſanguis ab ipſo morbi initio non parùm fuit inflammatus, in quo morbi ſtadio, rarò a ſtatu naturali, ſenſi-

ſenſibilis patet cruoris deviatio. (21.) (22.) (23.)

Cæteri

QUÆST. 21. Annon Ptyaliſmus, adeo in variolis confluentibus apprimè utilis, ut ad ſanitatem recuperandam omninò neceſſarius a Sydenhamo æſtimatur, Effectus hos ſalutiferos, vaſa ſensìm deplendo, maximâ ex parte producit, quæ aliter a diminuto perſpirabili, & repulſa humorum colluvie, opprimerentur? Annon itaque ubi deficit naturalis hæc evacuatio, methodus ſupra deſcripta, quæ certiùs ptyaliſmo voluntati noſtræ ſubjicitur, hujus defectum gradu quodam ſupplere poſſit; eoque præcipuè, cum vel nimis citò ceſſat, aut in ſtadio morbi a naturâ deſtinato, non apparet hæc evacuatio?

QUÆST. 22. Cùm ii hujus morbi furorem aliis felicius effugiunt, qui circa faciem & cervicem paucioribus Puſtulis obſiti ſunt, utcunque in corporis Trunco externiſve membris numeroſæ ſint puſtulæ; Annon in initio morbi multum conducerent, partium inferiorum Balneationes, tepidæ ſuppedalia ſtimulantia, aliaque ſimilia; quorum ope magis implentur vaſa inferiora, & vi ſtimulatoriâ major fit ad has partes derivatio?

QUÆST. 23. Cùm reſorptio puris in venas, vel ortum febri ſecondariæ præbet, vel ſaltem ejus ſævitiem plurimùm adauget; Annon urgente morbi neceſſitate, puſtulas aperire, & liberio-

Cæteri morbi hoc anno grassantes, fuere pleuritides, anginæ, rheumatismi, aliique ejusmodi morbi partium quarundam inflammatione conjuncti. Multi etiam stranguria & urinæ difficultatibus, aliique tussi perpetuâ, ex sero tenui, & acri obortâ vexabantur, quod expectorationis ope frustrà ejicere conabantur. Phthisici etiam & asthmatici plurimùm hoc anno passi sunt, & perierunt in Autumno multi; augebantur enim admodùm tussis, febris hectica, aliaque ex his orientia symptomata; præ cæteris autem sæviebat Tussis, & ægros hos vacillantes miserrimè torquebat.

rem materiæ purulentæ exitum conciliare, eosque abscessus more Chirurgico tractare conveniat. Quâ Methodo non tantum diminuetur ipsa febris, quinetiam eæ corporis partes, quæ, præ cæteris, hujus morbi sævitiem patiuntur, citissimè levari possunt, tam a præsenti, quam futura per tot emunctoria, evacuatione materiæ?

Pulsus

Pulſus in morbis inflammatoriis creber fuit & durus, Cutis tenſa & rigida, & Sanguis majori ratione inflammatus, quàm in aliis annis frequenter accidit. Neque laborabat quiſquis ex quocunque ferè Morbo, præſertim ſi dolore vel minimo torquebatur æger, quin ſanguis Cruſtâ inflammatoriâ obductus fuit.

Ægri, præ cæteris omnibus, largâ ſanguinis miſſione levabantur, neque aliam quamlibet medendi methodum felici ſucceſſu coronatam, omiſsâ ſanguinis miſſione, me obſervâſſe memini.

Venter plerumque aſtrictus fuit, Evacuationes autem per Alvum ſine miſſione ſanguinis inſtitutæ, non ſolùm ad ſanationem parùm contulerunt, ſed frequenter ſymptomatum ſævitiem, præſertim in rheumatiſmis, augebant; diminutâ autem a

ſanguinis miſſione morbi violentiâ, ægris non parùm profuerunt.

Balnationes tepidæ, præmiſſis evacuationibus, plurimis fuerunt emolumento, præſertim rheumaticis: Quibus autem vel prorsùs defecerunt hujuſmodi evacuationes, vel parcâ nimis manu applicatæ ſunt, ſymptomatum ſævitiem augebat Balneatio; repetitis autem evacuationibus, ſenſìm decreſcebant dolores, & ægris non parùm profuit. (24.) (25.)

Hic ſtatus fuit aeris & morborum eum comitantium, durante æſtate;

QUÆST. 24. Annon incrementum hoc doloris ex balneatione inde producitur, quod calore balnei augebatur ſanguinis impetus, ſolvebatur magis cruoris textura, & inde ſpatium magis amplum poſtulabat ſanguis?

QUÆST. 25. Annon itaque in horum morborum initio, præ cæteris omnibus, proſunt Evacuationes, & parciori manu, ſaltèm quouſque ſatis depleantur Vaſa, adhibenda ſunt medicamenta ſanguinem attenuantia? quippe aucto Dolore, augeri Inflammationem neceſſe eſt.

accedente

accedente tamen in autumno ſrigore ſubitaneo, augebatur ægrorum numerus, & graſſabantur frequenter diarrhœæ, dyſenteriæ, & inteſtinorum inflammationes; quæ omnia ſine largâ ſanguinis Miſſione non ſanabantur, & ratione habitâ ad partium affectarum differentiam, eidem methodo, ac morbi in Æſtate deſcripti, ſe ſubjiciebant.

Duravit adhuc ſiccitas, & uſque ad medium *Novembris* porrecta eſt, circa quod tempus decidebant pluviæ largæ continuæ, & Hydrargyrum, quod durante ſiccitate altiſſimè perſtitit, duos circiter Pollices deſcendit.

Hæc aeris variatio, etiamſi diù non permanſit, largiori ægrotantium numero ex morbis deſcriptis conjuncta fuit; præ cæteris autem graſſabantur pleuritides, rheumatiſmi, & dolores arthritici.

Pulſus creber fuit & durus, & ſanguis eo gradu inflammatus, ut cruſta inflammatoria Cruoris ſuperficiei innatans, dimidiæ ejus Quantitati haud rarò æqualis erat.

Hic major morborum inflammatoriorum numerus hoc tempore, quam Æſtate præcedente, a ſubitaneâ fluidorum expanſione, & tenſiori fibrarum texturâ, non improbabiliter ortum duxit. Cùm enim fluida viſcoſitatem quandam inflammatoriam, a prædictâ aeris temperie acquiſiviſſent, ſolidæque corporis partes rigiditatem naturali majorem a ſiccitate induiſſent; diminutâ aeris incumbentis preſſurâ, in extrema Capillarium vaſcula impetu ferri, ibique ob canalium anguſtias obſtructiones & inflammationes producere neceſſe eſt. Quod quidèm a ſummo levamine ægrotis profluente ex ſanguinis miſſione, iiſque medendi

medendi methodis, quarum ope diminuebatur ſanguinis impetus, ſolvebatur viſcoſitas ejus inflammatoria, & laxiores fiebant vaſorum tunicæ, ulterius patet.

An autem his, vel aliis cujuſcunque generis cauſis tribuendi ſunt hi morbi, hic non contendam: Hoc autem pro certo ponam, ſanguinem non ſolùm majori ratione in hoc Anno inflammatum fuiſſe, quinetiam Morbos cujuſcunque generis inflammatorios frequentiores, & acriores, quam in Annis prioribus, productos fuiſſe. (26.) (27.) (28.) (29.)

Redeunte

QUÆST. 26. Annon partium ſolidarum major rigiditas, & fibrarum frequentiores vibrationes a ſiccitate ventiſque his mordacibus & conſtringentibus productæ, ſanguinis velocitatem augendo & canales coarctando, inflammatoriam hanc viſcoſitatem adeò Epidemicam cruori inducerent; Eoque præcipuè, cùm ſtatus hic ſanguinis

Redeunte poſt tres circiter hebdomadas ſicca aeris temperie, eodem ſtatu uſque ad Æquinoctium vernale duravit cœlum, & graſſaban-

guinis morbos ferè omnes dolore conjunctos comitatur, cujus ope coarctantur vaſa, frequentiores fiunt villorum tremores & velocitas ſanguinis major?

QUÆST. 27. Cum Viris exercitatis, robuſtis & Senibus pejores ſunt variolæ, ob nimiam fibrarum rigiditatem & humorum acrimoniam; & è contrà, in puerulis, mulieribus, laxis, & imbecillibus plerùmque exitus ſunt felicioris; Annon Conſtitutio hæc aeris inflammatoria vaſa coarctando, & humorum acrimoniam augendo, variolarum prædictarum ſævitiem plurimùm augeret?

QUÆST. 28. Annon itaque Variolæ praxi inſitivâ productæ, pro varietate regnantis Epidemici neceſſario mutationes ſubeant, & lenioribus vel acrioribus ſymptomatibus, hac ex causâ erunt conjunctæ? Et ideo, an in omni aeris conſtitutione, annove quolibet, Prophylaxeos gratiâ tentanda hæc Methodus?

QUÆST. 29. Annon etiam balneationes tepidæ totius corporis frequenter repetitæ, victus humidus laxans & acrimoniam obtundens, diù ante inſitionem continuata, ad exitum felicem procurandum apprimè neceſſaria?

tur

tur morbi inflammatorii, præcipuè Rheumatiſmi, numero tamen pauciores.

Circa Æquinoctium autem aeris temperies, communi more, inconſtans fuit & variabilis, imbribus & Cœlo ſereno ſe mutuò per vices recipientibus. Apparebant hâc tempeſtate Anginæ quædam & Pleuritides, iis tamen in Anno priori graſſantibus longè mitiores.

Æſtas Anni 1724 frigida fuit & pluvioſa, permanentibus ventis plerumque in plagis quibuſdam ſeptentrionalibus. Stetit Thermometrum ſolito inferius, ratione habitâ ad anni tempeſtatem; manſit enim Spiritus plerumque circa gradum 45, & raro ultra 40 aſſurgebat. Annus 1724.

Circa Autumni medium placidum & ſerenum fuit cœlum, ſpirantibus ventis plerumque ex plagis auſtralibus & occidentalibus; quæ cœli facies

facies uſque ad Hyemis initium duravit. Circa hoc tempus acre Gelu inſecutum eſt, quod per hebdomadam duravit.

Hunc aeris ſtatum conſecuta eſt tempeſtas admodum humida, & pluvioſa, quæ uſque ad initium *Januarii* porrecta eſt; ſpirantibus fere perpetuò ventis ex plagis ſeptentrionalibus, ideoque totus hic Annus humidus, & frigidus meritò æſtimari debet.

Durante Vere & Æſtate tempeſtas ſaluberrima fuit, pauci apparuerunt morbi, iique boni moris; quæ aeris ſalubritas uſque ad Autumni finem porrecta eſt. Circa hoc tempus multi torminibus & alvi fluoribus laborabant, largæque nonnullis per alvum accidebant hæmorrhagiæ. Accedente autem Gelu redibant rheumatiſmi. & multos occupabant.

Sanguis in rheumatiſmis, aliiſque morbis inflammatoriis, non æquè, hoc

hoc Anno ac priori, inflammatus fuit, cruſtâ minori obductus fuit cruor, & medicamenta purgantia feliciùs votis reſpondebant (30.)

Cæteri morbi febriles, qui præter eos jam enumeratos apparuerunt, pauci fuerunt, frequenter autem diarrhœis erant comitati, & non raro per has vias judicati.

Hoc autem ex indole morborum in toto hoc Anno apparentium ſummatim colligi poteſt; quod evacuationes, quæ per alvum fiebant, non ſolum feliciùs voto reſpondebant, quinetiam quod minori medicamenti cathartici doſi ſolvebatur alvus. (31.)

Appa-

QUÆST. 30. Annon minor cruoris inflammatio in hoc anno, quo villorum tremores, ob majorem aeris humiditatem, neceſſariò torpidiores, quàm in priori evaderent, Quæſtionem (26) aliquo gradu ſtabilit?

QUÆST. 31. Annon aeris in hoc Anno major humiditas, materiæ perſpirabilis copiam diminuendo,

Apparebant etiam hoc anno variolæ, Puſtulæ tamen plerumque fuerunt diſcretæ, paucæ, & moris benigni. (32.)

Temperies aeris in *Januario* Anni 1724. fuit tepida, placida, & ſerena, ratione habitâ ad anni tempeſtatem, ſpirantibus, ut plurimum, ventis ex plagis auſtralibus, & occidentalibus; quæ aeris temperies, paucis exceptis diebus, uſque ad *Aprilis* medium duravit.

Apparuerunt hoc tempore quædam pleuritides, & rheumatiſmi, pauci

minuendo, in causâ ſit, quod impetu majori per Alvum corruerent humores, & ſæpius quàm priori Anno hoc modo judicatæ ſint febres? Et annon ex eâdem Causâ oriri poſſit, quod ad Catharſin procurandam, minor quàm in Anno præcedenti, ſufficiebat medicamentorum doſis?

QUÆST. 32. Annon Conſtitutio hæc aeris, Indoles variolarum, & aliorum morborum hoc Anno apparentium, cum iis Anni prioris comparatæ, Quæſtiones 27, 28, 29. aliquo ſaltem gradu probant?

pauci tamen alii febriles morbi. Sanguis in omnibus his inflammatus fuit, & pleuriticorum æmulus.

Circa medium *Februarii* apparebant febres quædam remittentes & intermittentes, majori sanguinis inflammatione conjunctæ, quam vulgo hos morbos comitatur; Fuit enim plerumque cruor, Pleuriticorum more, pelliculâ inflammatoriâ obductus. Materiem etiam Biliosam largâ copiâ, tam per vomitum quàm per alvum, summâ cum ægritudine ejiciebant ægri. Quæ ambo symptomata sanguinis missione præ cæteris levabantur remediis.

Hi morbi *συνόχων* in initio speciem præ se ferebant, paucis autem elapsis diebus, præcipuè post missionem sanguinis, vel in *συνεχεῖς*, vel intermittentes conversi sunt.

Quamvis autem hi morbi ad intermittentium classem meritò applicandi

candi ſunt, proclivitas non levis iis ineſſe videbatur, ut in συνόχȣς tranſirent: Eo quod, ſinguli Paroxyſmi, etiam in iis qui perfectè intermittebant, citatiori pede & ſymptomatibus acrioribus, quàm priores redibant.

Dum febres hæ fuerunt continuæ, Urina rubra fuit, & ſedimenti expers; cum autem in intermittentes convertebantur, Sedimentum ingens, majori rubedine quàm vulgo videmus tinctum depoſuit.

Qui Corticem Peruvianum in initio morbi, etiam in intermittentibus, neglectis evacuationibus, & præ cæteris ſanguinis miſſione ſumpſerunt, ſymptomatum ſævitatem adauctam habebant; qui verò in remittentibus pharmacum hoc temerè ſumpſerunt, paroxyſmo ſequenti frequenter delirabant.

Initio menſis *Martii*, & circa ejus finem decidebat paululum nivis &

& ſubſidebat thermometrum hoc tempore decem circiter gradus, ſpirantibus ventis ſeptentrionalibus & orientalibus.

Circa hoc tempus graſſabatur tuſſis pertinax convulſiva, præſertim inter infantes, & per totam æſtatem ſubſequentem duravit.

Circa medium *Aprilis* anni 1725, tempeſtas admodum frigida fuit & pluvioſa, ratione habitâ ad anni tempus, eodemque modo, paucis exceptis diebus, per totam Æſtatem & Autumnum, imo uſque ad medium *Decembris* duravit, & hoc gradu longè majori, quàm in quolibet annorum prædictorum. Annus 1725.

Cùm autem circa hoc tempus egomet morbo gravi & diuturno correptus ſum, qui per quatuor Menſes me ab hujuſmodi obſervationibus detinuit, de morbis in hoc intervallo apparentibus nihil eſt quod deponam

ponam; nisi hoc observatu dignum judicetur, quod tota hæc Æstas, non obstante summâ ejus Humiditate, fuit prioribus salubrior. Et reverà tempestates humidas valdè siccis & calidis, plerumque salubriores inveni, exceptis circa humiditatis initium paucis hebdomadis, quæ tempestatem siccam immediatè secutæ sunt. Quod quidem phænomenon, potius effectibus siccitatis prægressæ, & mutationibus in OEconomia Animali a variato aeris pondere, aliisque similibus causis brevi cessantibus, quàm ad humiditatis præsentis actionem tribui videntur; eo quod manente humidâ aeris Temperie, brevi diminutus est ægrorum numerus. An autem hoc semper sic se habeat, affirmare nequeo; probabile enim est, quod transeunte diuturnâ tempestate siccâ subito in humidam, vel humidâ in siccam, vario

vario licèt modo, æquè affici corpora noſtra; & hoc præcipuè pro ratione caloris aut frigoris; niſi forſan conſtans hujus inſulæ humiditas, talem temperiem, noſtris corporibus magis congruam, per aſſuetudinem, reddat.

In autumno apparuit febricula, ægritudine, nauſeâ, & vomitu comitata, quibus ſuccedebant pruritus moleſtus & eruptiones quædam cutaneæ; elapſâ tamen hebdomadâ terminata eſt, & ſequebatur icterus, & in quibuſdam tumores pedum œdematoſi.

Circa hoc etiam tempus apparebant Peripneumoniæ quædam, febre lentâ, ſpirandi difficultate magnâ, pulmonum gravitate, alvi Fluore, expectoratione difficili, pulſuque debili & inæquali conjunctæ; Sanguis parum fuit inflammatus, Urina

flaveſcebat, & parum ſedimenti depoſuit.

Hoc etiam notatu dignum eſt, quod ex quocunque morbo circa hoc tempus quiſquis laborabat, vertigine, torpore, ſomnolentia, capitis gravedine, & non raro Aurium hebetudine conqueſtus eſt æger (33.)

Circa finem *Septembris* apparebant morbilli, moris autem benigni, & per totam hyemem duraverunt.

Incipiente *Januario* accidebat acre gelu, nive multa conjunctum, & fuit tempeſtas admodum frigida & geloſa, ſtante tum Thermometro ad gradum 85; quæ cœli temperies ad finem menſis porrecta eſt, durante gelu iidem fere morbi ac in hyeme

1715

Quæst. 33. Annon a diminuto perſpirabili auctâ vaſorum plenitudine, laxo ſolidorum ſtatu, motuque fluidorum inerti, quæ ab hac aeris conſtitutione neceſſariò producuntur, patet horum effectuum ratio?

1715 apparuerunt, ut & circa ejus diffolutionem.

Fuit æftas hujus anni, prout ante notavi, non obftante fumma ejus humiditate admodum falubris, ut etiam fuit hyems, pauci enim apparebant febriles morbi, exceptâ tantùm tempeftate gelosâ. Hoc autem per totum annum obfervare licebat, quod qui labe aliqua hypochondriaca & melancholica affecti funt, non folùm effectus diuturnæ hujus humiditatis hoc tempore fenferunt, fed fymptomata Vere fequenti multum adaucta habuerunt.

Morbi inflammatorii tempeftatem gelofam comitantes, paulo poft gelu folutionem evanuerunt, manebant tamen alii quidam, qui ante frigidam tempeftatem apparuiffent, & ufque ad vernalem porrecti funt; qui tam ab humiditate æftatis prægreffæ, quàm hyemis frigiditate ori-

ri videbantur; qualis fuit peripneumonia quædam notha, febre lenta, pulſu molli, & ſpirandi difficultate magna conjuncta.

Hic morbus ſenes cachecticos, otioſos, & pituitoſos maximè invaſit, & eos horum præ cæteris, qui victu pleno, potu generoſo, & præcipuè cereviſiis fortioribus liberè ſe indulſiſſent. Iique horum qui hunc morbum non paſſi ſunt, tuſſi pituitoſa & gravedine plerumque laborabant. *Juniores* ſimili modo ægrotantes ut plurimum vel leucophlegmatici fuerunt vel labe aliqua hydropica aut aſthmatica affecti.

Horum pauci ſanguinis miſſionem largâ copiâ ferebant, hunc tamen mitti plerumque poſtulabat morbus, aliter felici ſucceſſu vix exhiberi potuerunt medicamenta diſſolventia, incidentia, & expectorantia. In his enim exhibendis non levis requiſita

fuit

fuit cautela, ne vel nimio motu incitati humores, in pulmonum vaſcula impetu corruerent, ipſumque malum augerent: Vel e contra materies hæc viſcidi & pituitoſa debito tempore, & copia ſatis larga, non excerneretur, liberque per pulmonem fieret ſanguinis tranſitus. (34.)

Duravit tempeſtas geloſa uſque ad finem *Januarii*, eique ſolutæ, ſuccedebant pluviæ frigidæ, nix, & gelu, vicibus alternis ſe excipientia; ſpirantibus plerumque ventis ex plagis auſtralibus, tam durante gelu prædicto, quàm tempeſtate hac variabili; quæ cœli temperies fere ad finem *Februarii* extenſa eſt.

QUÆST. 34. Annon laxata ab Humiditate vaſorum pulmonalium textura, horum diminuta perſpiratio, & minor veſicularum inflatio in cauſa ſint, cur difficilius per hoc viſcus tranſiret ſanguis, ejuſque vaſa lentore viſcido gradu aliquo illineret; unde accedente frigore vaſa magis coarctante, hoc viſcus præ cæteris male ſe haberet?

 Morbilli

Morbilli per totam tempeſtatem frigidam durabant, & circa hoc tempus, finem ſcilicet *Februarii*, quo calidior fuit aer, majori ſpirandi difficultate, tuſſique magis quàm antea pertinaci, & non raro doloribus pleuriticis, & alvi profluvio comitati ſunt. Hæc autem ſymptomata maximè ſanguinis miſſione, nonnunquam vero veſicatoriis præ cæteris, debellata ſunt remediis, ratione habita ad lentiorem, ſeu acriorem febris comitantis decurſum, aliamque medelam, exceptis diluentibus lenibus, vix poſtulabant. His autem neglectis, aut ſero applicatis, duravit ſpirandi difficultas, & urgebat pertinaciter tuſſis, amotis omnino morbillis, multoſque infantes in febrem hecticam phthiſinque inſanabilem præcipitarunt (35.)

Circa

QUÆST. 35. Annon inſueta tuſſis pertinacia & dolores laterum ei ſupervenientes, tempeſtatis præce-

Circa finem *Februarii* cœlum serenum fuit & placidum, & sensim, pro ratione veris appropinquantis, augebatur calor usque ad Æstatis initium.

Mense *Maio* anno 1726, aeris temperies calida fuit & sicca, paucis ventis perflata, iisque ex plagis australibus & occidentalibus tantum spirantibus. Annus 1726.

Circa hoc tempus apparebant febres quædam remittentes & intermittentes, præcipuè verò priores, in multis pruritu & eruptionibus cutaneis conjunctæ; quæ aliis etiam ægris febribus nullo modo affectis, accidebant. Ægroti fere omnes, hoc

præcedentis asperitati merito tribuenda; eo quod horum ope subito stringebantur, præ cæteris, tracheæ, pulmonis, & partium contiguarum vascula, unde diminuto frigore turgerent horum humores; fibras vellicarent, & hæc symptomata producerent?

tempore febricitantes, vel cephalalgia acuta, vel capitis gravedine conquesti sunt, & ad delirium & phrenitidem ex levissimo errore admodum proni fuerunt (36.)

Hanc aeris temperiem morbi etiam aliqui inflammatorii comitati sunt, ut pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, sanguinis expuitiones, aliique ejusmodi; præ cæteris tamen, capitis dolores & oculorum inflammationes, circa hoc tempus, plurimum grassabantur.

Neque forsan observatu indignus censeatur effectus ille, quem in hypocon-

QUÆST. 36. Annon præcedentes aeris temperies humorum copiam, acrimoniam, & resistentiam ad corporis superficiem augendo, & cerebri vasa sensim implendo, turgentibus a vernali calore humoribus, ad hoc symptoma conducerent? & annon tam a prædictis phænomenis, quàm a cerebri & Meningum structura, cursuque sanguinis per has partes naturali, patet hujus conjecturæ veritas?

pocondriacos & melancholicos anno priore memoratos, produxit hæc tempeſtas, quorum multi levati ſunt, alii vero ſymptomata adaucta habebant, aliique mania correpti fuerunt (37.)

Effectus hi diverſi tempeſtatis hujus calidæ & ſiccæ, prout mihi obſervare licebat, vel a variis mali ipſius gradibus, vel ægrorum temperamentis, calidis ſcilicet & ſiccis, vel frigidis & pituitoſis oriri videbantur. Cum enim morbus adhuc recens, obſtructionibus diuturnis non comitatus, ægerque non admodum pituitoſus fuit, aucto ſenſim calore ſolvebantur humores, ad functiones ſuas perficiendas habilius

evaſit

QUÆST. 37. An morbi hic obſervati, effectus hujus tempeſtatis in hypochondriacos & melancholicos, & eruptiones cutaneæ ſupra memoratæ, quæ hæc vaſcula gradu aliquo obſtructa denunciant, quæſtionem præcedentem non probant?

evaſit corpus, & meliores ſe habebant ægroti. Iis autem, quibus altis radicibus hæſit malum, nec hujus ope fuit ſuperabile, augebatur ſanguinis rarefactio, turgebant humores, in vaſa obſtructa impetu majori ruebant, & magis ſæviebat morbus. Hæc etiam ſententia ab evacuatione larga materiæ acris, acidæ, aut bilioſæ vomitu vel ſeceſſu rejectæ, quæ multis horum contigit, non parum confirmatur. Sic etiam Mania, temperamenti melancholici proles frequens, iis accidit, quibus tenſa fibrarum compago, acris vel bilioſa humorum dyſcraſia, & adauctus calor fomitem morbi in cerebri vaſcula impegerunt. De his autem plus ſatis; quippe non morborum cauſas, ſed ſucceſſiones trado; cujuſcunque enim generis fuerunt cauſæ, hos fuiſſe eventus certum habeo.

Hac æſtate apparebant iterum variolæ, quæ uſque ad hyemem protractæ ſunt; confluentes plerumque fuerunt, non tamen eo gradu ut in anno 1723. Hæ æque ac alii morbi febriles ſupra memorati, & eandem forſan ob cauſam, impetu magno in caput ruebant. Ad ferox hoc ſymptoma præcavendum, vel jam adventum leniendum, miſſio ſanguinis ex venis inferioribus apprime utilis fuit, eo quod inflammationem appropinquantem magis ſuperabilem reddidit, & revulſione cita ſuperioribus corporis partibus levamen attulit; non modo ob auctam vim circulatoriam per inferiora durante ſanguinis effluxu, verum etiam ob aquæ tepidæ fotum cruribus & pedibus applicatum; cujus ope major fiebat in has partes humorum derivatio, & procul a capite liberior puſtularum eruptio. Quamvis enim

miſſo

miſſo e jugulari ſanguine, præcaveri forſan potuit imminens malum, majori tamen ratione ad ſuperiora, ad faciem ſcilicet & cervicem, derivatur ſanguis, unde magis diſtendentur hæc vaſa, & major erumpet puſtularum numerus; ut ex fonticulis, ulceribus diuturnis, fotuum & cataplaſmatum Chirurgicorum effectibus, aliiſque derivantibus videre eſt; has autem partes aliis magis puſtulis obſideri, periculoſum eſſe cuivis notum eſt.

Mirum autem merito videatur, cur urgente febre inflammatione ſtipata, imo plethora, & ætate juvenili, de ſanguinis miſſione non pauci hæſitent medici; ne, vel non erumpat, vel retrocedat materia morbifica; cum vigor febris, & vis ea notabilis, quâ plerumque erumpunt puſtulæ confluentes, hanc rem extra dubium ponunt; & hoc non

non tantum in ipſo morbi inſultu, quinetiam facta puſtularum eruptione, aliove quolibet morbi ſtadio, modo a pulmonis, cerebri, partiſve alicujus vitalis inflammatione, ægrotis immineat periculum; quamvis enim in ipſo morbi initio optime inſtituitur hæc evacuatio, eruptis tamen puſtulis ſi perſtat vigor febris, & atrocia urgeant ſymptomata, pro re nata repeti nihil vetat. Quippe non tam morbi tempora, & inania malignitatis nomina, quam ſymptomata ægri vitam in diſcrimen inducentia reſpicere debet medicus. Et revera quamvis ex vigore febris in primis morbi diebus, de ejus genio multum patet, eruptis tamen puſtulis, certiùs de ſymptomatibus brevi adventuris morbique eventu, quàm antea, dijudicare licet; & proinde hoc, præ cæteris, ſtadio, (priuſquam ſcilicet facta eſt ſuppu-

ſuppuratio) ſumma arte tentandum ut ea evitentur ſymptomata, quæ ex morbi natura neceſſariò novimus conſecutura. Ad hoc autem maximè valet hæc evacuatio, quam non ſolum tutò fieri, aut ſi poſtulat morbi indoles, repeti, quinetiam aliis evacuationibus huc ſpectantibus conjungi, & poſſe & deberi, me olim multiplex docuit experientia. Præterea fœminis fere omnibus, hujus morbi decurſu, menſes profluere, eaſque exinde melius ſe habere quis non novit, etiamſi periodo non aſſuetâ fiat hæc ſanguinis evacuatio? Nec minus alios larga e naribus hæmorrhagia ab orci faucibus ereptos novimus; cur vero, natura non adjuvante, idem levamen non concedat ars, vix ſolvi poſſe videtur.

Suſpicio quædam Sydenhami, qua de hujus evacuationis utilitate dubitat clariſſimus ille medicus, propter

ter ægrotam quandam e Rheumatiſmo Phlebotomiæ ope convaleſcentem, in qua plurimum confluebant variolæ, multis dubitandi anſam præbuit, an revera ex uſu ſit: Si vero ad ſtatum ſanguinis rheumatiſmo familiarem attendemus, clariſſimè patebit, variolarum appropinquantium confluxum, a miſſione ſanguinis prægreſſa, in tali caſu, nequaquam præcaveri potuiſſe, talemque effectum fruſtra inde expectari. Quippe ad vaſorum tenſionem laxandam, febris æſtum moderandum, ſpatiumque diluentibus & attenuantibus concedendum, mittitur e rheumaticis ſanguis, ea ratione, qua poſtulat morbi indoles, deſinentibus autem doloribus, diu ſtatum hunc inflammatorium gradu aliquo retinet ſanguis, non obſtante prægreſſa venæſectione, ut tam accuratum ſanguinis examen poſt tolera-

tum

tum febris decursum, quàm frequens morbi ex levissimâ causâ recrudescentia docent, & hoc non tantum in iis corporis partibus, quæ olim affectæ fuissent, & quibus vascula gradu aliquo obstructa supponi possunt; quinetiam in iis, quæ antea doloribus nequaquam fuissent assuetæ. Talis itaque sanguis viscido & stimulo scatens inflammatorio, accedente materie variolosâ, duplicatis viribus ægrum invadet, & in ultimis membranarum vasculis detineri, ibique pustulas & inflammationes excitare, sanguine naturali, magis erit pronus, & necessario sæviores erunt variolæ. Quod ipsum etiam probat experientia; nullum quippe novi hâc sanguinis dyscrasiâ in morbi accessu affectum, a quâcunque causâ ortum traheret hic sanguinis status, quin confluerent variolæ.

Et

Et revera ſi caſum dominæ cujuſdam variolis nigris laborantis, a ſeipſo memoratum, ſatis perpendiſſet autor clariſſimus, cui tertio ab eruptione die, temporeque non aſſueto largiſſimè profluebant, & per totum morbi decurſum durabant Menſes, eum, vix talem promulgâſſe ſuſpicionem, ex cæteris ſcriptis, credibile eſt.

Male itaque ex hoc caſu contra Phlebotomiæ utilitatem in variolis concluditur.

Multo autem pejus ægrorum ſaluti conſulunt, qui timiditate potius quàm ratione adducti, tutam hanc horrent evacuationem, & æſtuante ſanguine defectum ejus veſicatoriis, cardiacis, aliiſque ſtimulantibus, ſummo certè cum ægrorum periculo, ſupplere conantur. Quantum autem vis Febris, tam in hoc, quam futuris morbi ſtadiis, a tali metho-

do intenditur; aut quàm longè, effectibus ſuis, diſtat evacuatio ſine ſtimulo promota, ab ea, quæ tum fibras vellicat & lacerat, tum ipſis humoribus, jam nimis acribus, majorem inducit acrimoniam, non opus eſt ut argumentis illuſtrem.

Dantur quidèm ægroti, prioribus licèt rariores, quibus, partim a debilitate generis nervoſi, partimque ab humorum inertiâ & viſciditate, revera languent vires. His quidem, & his ſolis, in hoc morbi ſtadio proſunt veſicatoria, cardiaca, aliaque ſimilia, ut ad vires morbo pares excitetur natura; nequaquam tamen prioribus, niſi forte ſymptoma aliquod grave ſtimuli opem, pro tempore, neceſſariò poſtularet.

Cùm autem de epiſpaſticis hic ſermo accidit, non rei noſtræ alienum ſit annotare, feliciſſimum applicandi tempus illud eſſe, (dictante

tum

tum ratione, tum experientia,) quo reſpectivè pedes vel manus tumeſcere debent, modò eo uſque deferri ſinit morbi indoles; eoque præcipuè, ſi in ſtadio morbi a natura deſtinato, non apparent hujuſmodi tumores. Hoc enim tempore plerumque diminuitur ptyaliſmus, & turgent admodum humores, quos ad extrema pellere, & horum tumore ægrum levare, tum molitur natura, atque ideo, ut vel ad has partes copia larga quantociùs deriventur, vel ut alvo ſoluta pars aliqua foras eliminetur, poſtulat hic morbi ſtatus; utrum autem horum tum maxime eligibile, ab ægri viribus & ſymptomatibus urgentibus, an nimis ſcilicet intenditur vel torpeſcit febris, non præceptis generalibus determinandum eſt. (38)

Duravit

QUÆST. 38. Annon itaque, pro vario gradu

Duravit hæc calida & ſicca aeris temperies uſque ad *Junium*, eique ſuccedebat tempeſtas humida & aquoſa, quæ per totum *Julium* & initium *Auguſti* porrecta eſt, ſpirantibus ventis plerumque ex plagis ſeptentrionalibus.

Manebant adhuc febres quædam remittentes & intermittentes, numero tamen pauciores.

Circa

du inflammationis, vario morbi tempore, ægrotantis temperie, aliiſque ſimilibus, miſſio ſanguinis, alvi ſolutio, epiſpaſticorum applicatio, aliaque ejuſmodi vel damnoſa ſint, vel ægris utilia? Et annon indicationes certiores pro tempeſtivo horum omnium uſu, tam in hoc, quàm aliis morbi ſtadiis, a vigore vel torpore febris, & humorum redundantium colluvie, ægros opprimente, quàm ab aliâ quâcunque regulâ depromi poſſunt; hoc ſemper notato, quod ſi multum viget febris, & valent vires, a ſtimulis & evacuantibus dolorificis abſtinendum eſt; ſi vero urgent contraria, admovenda ſunt veſicatoria, & levioribus evacuantibus tractandus eſt æger? vide QUÆST. 21, 22, & Annum 1723.

Circa initium *Julii* apparebant Diarrhœæ, dyſenteriæ, morbus Cholera dictus, aliique ejuſmodi morbi ventriculum & inteſtina graviter afficientes, qui uſque ad medium *Auguſti* durabant; in cujus menſis initio iterum placidum & calidum fuit cœlum, & eadem temperie ad initium *Septembris* manebat. (39)

Ex hoc tempore uſque ad finem *Novembris* cœlum variabile fuit & inconſtans, ad humidum autem & frigidum aliis propius accedens. Hac tempeſtate nulli præ cæteris ſe oſtendebant morbi, paucis aliis apparentibus, niſi qui ſingulis annis, hanc anni tempeſtatem, comitantur; quales ſunt tuſſes pituitoſæ, aſthmaticæ gravedines, & morbi quidam chronici.

QUÆST. 39. Annon morbi hic enumerati ex tempeſtate hâc humidâ & frigidâ, calidam prædictam ſequente, orti ſunt; & QUÆST. 5. 31. probant?

Acceſſit, *Decembris* initio, acre gelu nive comitatum, ſpirante vento ex plaga occidentali, quod uſque ad Chriſti natalem permanſit. Hoc tempore multum ſæviebat gelu, altum ſtetit in Barometro Hydrargyrum, & ad gradum 80 cecidit Thermometri ſpiritus.

Rigida hæc aeris temperies pleuritides produxit & peripneumonias, alioſque morbos inflammatorios ſanguine pleuritico ſtipatos, quales in ſimili tempeſtate antea numerantur, & phthiſicis, hecticis & languidis, diarrhœas & laterum dolores inducendo exitialis fuit.

Reliqua hyemis pars admodum fuit frigida, quoad alias autem aeris qualitates inconſtans; nive, gelu, & pluviis frigidis alternatim ſe excipientibus.

Hoc tempore graſſari deſinebant in hac urbe variolæ, non tamen in locis

locis vicinis; acriora etiam, appropinquante hyeme, & ſæviente gelu, quàm in æſtate præcedente fuerunt ſymptomata.

Circa finem *Februarii* conſtanti fere modo ſpirabat Aquilo, fuitque hæc anni tempeſtas frigida & ſicca, quæ cœli temperies per totum fere menſem ſequentem porrecta eſt.

Hoc tempore plurimum graſſabantur pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, rheumatiſmi, dolores podagrici & arthritici, tuſſes convulſivæ ex ſero acri laryngem vellicante, aliique conſimiles morbi ſanguine inflammato pulſuque duro conjuncti, qui omnes ſanguinis miſſione, catharticis, diluentibus, aliiſque pro re nata variatis profligati ſunt, nec aliquid novi aut inſueti producebant.

Circa finem hujus menſis, *viz.* Annus
Martii, ſpirabant Auſtrales, deci- 1727.

derunt pluviæ multæ, copiosæ; calidior fuit aer, & morbi prædicti frequentiores fuere; forsan a rigiditate fibrarum, & diathesi sanguinis inflammatoria a sicca tempestate orientibus, & subitanea humorum rarefactione a caliditate producta, ut supra exposuimus. Hoc mense apparebant iterum in hac urbe variolæ, & aucto calore symptomatibus acrioribus sæviebant. (40)

Duravit eadem cœli temperies ad medium *Aprilis*, nisi quod venti, qui antea ab Austro spirabant, jam admodum incerti fuerunt & variabiles, non raro ab australi plaga in occidentalem, & inde in septentrionalem, in horis 24 percurrentes; quo tempore paulo frigidior & humidior

QUÆST. 40. Annon subitanea frigidi & sicci aeris in calidum conversio, eundem effectum in variolarum, æque ac morborum prædictorum inflammationem augendo, produceret?

midior fuit aer, graſſantibus adhuc morbis prædictis.

Circa medium hujus menſis placidum & calidum fuit cœlum, imbribus aliquando comitatum, venti tamen omnino incerti fuerunt & variabiles; quæ cœli temperies in priorem menſis ſequentis partem porrecta eſt.

Hac tempeſtate apparebant febres quædam remittentes & intermittentes; priorum autem paroxyſmi more incerto & omnino irregulari recurrebant, urina turbida fuit & ſedimenti expers, tam in remiſſionibus, quàm in ipſis paroxyſmis; pulſus creber fuit & debilis, lingua alba & humida, & languore ſpirituum conqueſti ſunt ægri. In iis etiam ægrotis quibus paroxyſmi modo regulari recurrebant, & perfecta ſecuta eſt *ἀπυρεξία*, ſedimentum raró lateritium, ſed plerumque ſubalbidum

dum, flavedine pauca tinctum deposuit urina.

Laterum etiam dolores ægros afficiebant, & irregulares hos paroxysmos frequenter comitati sunt, iisque vigentibus plurimum augebantur, declinante verò paroxysmo mitiores erant, sed raro cessabant.

Pleuritides etiam veræ & peripneumoniæ, æque ac prædictæ symptomaticæ, hoc tempore grassatæ sunt; inflammatione tamen iis dissimiles, quæ ægros in hyeme præcedente & initio veris afficiebant. His enim sanguis minori gradu fuit inflammatus, pellicula inflammatoria vel penitus abfuit, vel longè fuit tenuior, neque missione sanguinis æquè levati sunt ægroti. Pulsus etiam plerumque mollis fuit & creber, admodum tamen incertus & variabilis; manebant autem laterum dolores plerumque fixi & immobi-

les

les, languefcebant fpiritus, ægrique debiles & languidi fiebant.

Hi dolores mufculos intercoftales imprimìs ferè aggreffi funt, frequenter verò, morbo ingravefcente, pulmonem ipfum afficiebant, & peripneumoniæ lentæ, fæpiùs quàm inflammatoriæ, fpeciem præ fe ferebat morbus; in quam tranfiere admodum pronus fuit. Miffio fanguinis his quàm prioribus parciori manu inftitui potuit, minorem tamen hanc quantitatem gradu quodam fupplevit catharfis, mollibus, blandis & diluentibus medicamentis excitata, refpectu femper habito, tam ad copiam inertis pituitæ, ægrotique obefitatem, quàm ad acriorem feu lentiorem febris comitantis decurfum; pro quorum ratione, cathartica plus minufve attenuantia poftulabat morbus. Hærente verò altis radicibus malo, languefcentibus viribus

viribus, vel urgente magna pituitæ ſaburra, veſicatoria & medicamenta volatilia, leni ſtimulo ægrorum vires excitantia, largâque diluentium copiâ hauſtâ, magno fuerunt ægrotis præſidio.

Quamvis enim ad dolorem ſedandum parum immediate contulerunt hæc remedia, ſanguinem tamen ſolvendo, & torpidum fibrarum motum excitando, non tantum ad morbum debellandum, ægrumque ſuſtinendum multum conducebant; quinetiam pulſum vacillantem excitando, miſſionem ſanguinis repetitam, multis omnino neceſſariam, tutiorem & utiliorem reddebant.

Nec minus in pleuritide vera prædicta, dum mobilis fuit materies, miſſo pro re nata ſanguine, profuerunt cathartica ſanguinem minime accendentia, quippe tam ſtimuli

quàm

quam evacuationis ope, aliò derivatur ſanguinis impetus, diminuitur dolor & reſolvitur inflammatio; in quibus veram poni hujus morbi curationem olim obſervavit Sydenhamus. Parum enim expectorationi fidendum eſſe docent, tum materiæ in morbi initio tenuitas, tum partium affectarum ſtructura. Et revera nihil obſtat, vel ex morbi natura, partiſve fabrica, quo minus in hac, quàm aliis inflammationibus conveniat hoc remedium.

Ante *Maii* medium mutata eſt cœli facies, frigidior fuit aeris temperies, copia larga decidebant pluviæ, fuitque hæc anni tempeſtas ſolito frigidior, ſpirantibus adhuc incerto modo ventis, frequentius autem e plagis borealibus; quæ cœli facies, paucis exceptis diebus, per totum menſem ſequentem extenſa eſt.

Durabant

Durabant morbi supra memorati, hoc autem observare licebat, quòd ægri febribus intermittentibus vel remittentibus affecti frequentius in frigidâ quâm calidâ temperie de doloribus pleuriticis conquesti sunt. (41)

Temperamentum aeris per totum hoc ver initiumque æstatis usque ad *Julium*, prioribus omnibus magis fuit inconstans & variabile, tam calore & frigiditate, quàm perpetuis ventorum mutationibus; non tantum pro ratione plagarum a quibus spiravere, quinetiam pro afflatuum frigore & fortitudine. Has variationes maxime notabiles supra enumeravi, singulas autem recitare non modò impossibile, quinetiam Lectori inutile

QUÆST. 41. Annon hic effectus, in his febribus a majori fibrarum constrictione, & densiori sanguinis crasi in tempestate frigida, æquè ac in veris inflammatoriis, penderet?

tile & faſtidioſum fuiſſet; adeo enim incerta & variabilis fuit hæc tempeſtas, ut vix duo ſibi invicem ſimiles evaſerint ſucceſſivi dies. (42)

Circa initium *Julii* multo calidior fuit aeris temperies, aſcendebat enim Thermometri ſpiritus uſque ad gradum 25, qui menſe priore vix ultra 45 aſſurrexiſſet.

Hoc menſe nonnullos invaſit febris putrida, at plurimùm graſſatæ ſunt remittentes & intermittentes. Eruptiones etiam cutaneæ hos morbos ſæpe comitatæ ſunt, aliquando fuſci coloris, quæ ſemper ſiccæ, aliæ autem ſero pellucido plenæ, quæ ex

QUÆST. 42. Annon incertum hoc cœli temperamentum fibrarum tonum perpetuò variando, & fluidorum motum & texturam, propter rarefactionem vel condenſationem adeo mutatam, afficiendo, morbos incertos & mali judicii produceret? Et annon hoc cum quibuſdam Hippocratis obſervationibus perfecte congruit?

ex labe ſcorbutica pendentes, pruritu moleſto ægros torquebant. Hæ exanthematum ſpecies a varia materiæ perſpirabilis tenacitate & volatilitate, vel variis vaſorum orificiis, & denſitate cuticulæ, oriri videbantur ; neque aliam medelam poſtulabant, quàm ut levium diluentium ope, perſpiratio paulo liberior evaderet. (43)

Hoc tempore remittentes prædictæ non tantum frequentiores fuere, ſed ſymptomatibus gravioribus comitatæ ſunt, quàm in vere præcedenti. Per dies enim aliquos febris putridæ ſpeciem æmulatæ ſunt, poſtea verò remittebant, & in tertianas ſeu

QUÆST. 43. Annon frigidior & humidior aeris temperatura, perſpirabile retinendo, in cauſa ſit, quod reſtitutâ calidâ temperiè erumperent hæ petechiæ ; eoque præcipuè quod in morbi declinatione apparebant, adactâ tum majori copiâ ad cutis emunctoria febrili materie?

ſeu potiùs ἡμιτριταίας convertebantur. Ægroti hoc tempore affecti plerumque ſomnolenti & ſtupidi, præſertim in paroxyſmis, apparebant, & laſſitudine, debilitate, & ſpirituum languore conqueſti ſunt; quæ etiam ſymptomata febris putridæ acceſſum, majori tamen gradu, comitata ſunt.

Fuit enim in hac pulſus plerumque creber & debilis, lingua arida & fuſca; urina rubra & ſedimenti expers, in remittentem autem poſt ſudores ſponte ortos, aut ſolâ diluentium copiâ productos, lenemve alvi ſolutionem non raro tranſivit; & ſedimentum rubro-flavum depoſuit urina.

Languidis & hyſtericis hoc morbo affectis multum laborabat nervoſum genus, majori ratione vacillabant ſpiritus, diutius protracta fuit febris, & ſine criſi ſenſibili ſenſim

vires recuperabant ægroti, ut in febribus quibuſdam languidis & nervoſis ſupra memoravimus.

Duravit hæc cœli & morborum conſtitutio uſque ad *Septembrem*, niſi quod circa medium *Julii* ſpirabant venti boreales, decidebant pluviæ, & per dies aliquos frigidior fuit aer; in priorem tamen ſtatum ante hujus menſis finem redivit.

Hoc tempore accidebant alvi profluvia, tormina, & morbus Cholera dictus, quæ ægros nonnullos ex improviſo occiderunt; duabus autem vel tribus ſeptimanis penitùs evanuerunt.

Tempeſtas autumnalis in *Septembre* & *Octobre* frigida fuit & humida, & multum graſſatæ ſunt intermittentes, præcipuè verò quartanæ.

Circa finem *Octobris* ſpirabat Aquilo, frigidum & geloſum fuit cœlum

lum, & Thermometri ſpiritus ad 75 deſcendit.

Hæc aeris conſtitutio etiamſi ultra 14 dies vix porrecta eſt, mala non levia multis attulit, iis autem præ cæteris, quibus vires a repetitis intermittentium reditibus collapſæ ſunt. Acciderunt enim non paucis ſævæ pleuritides, peripneumoniæ, & anginæ; præcipuè verò priores.

Febres remittentes paulo poſt gelidæ tempeſtatis acceſſum graſſari deſinebant, non autem intermittentes; admodum enim frequentes fuerunt quartanæ, & totam fere plebem occupabant; deſinente autem gelida temperie, humidum & frigidum iterum fuit cœlum, & cujuſcunque generis graſſabantur intermittentes, adeo ut aliquam harum ſpeciem præ cæteris dominari vix deprehendere potui.

Circa medium *Decembris* acre gelu cœlum per tres ſeptimanas occupavit, fuitque reliquum *Januarii* admodum frigidum, nive, & ventis aquilonaribus ſociatum.

Frigida hæc anni tempeſtas, ut prior, tertianas non paucas in quartanas commutavit. Peripneumonias etiam quaſdam veras, maximè verò lentas, & ſpirandi difficultates, pituitoſis & ætate provectis attulit; *Junioribus* autem maximè pleuritides, tam veras quàm ſymptomaticas; iiſque horum præ cæteris, qui febribus intermittentibus antea affecti fuiſſent. In horum plurimis laterum dolores a febre intermittente omnino pendebant, & intermittentium more cum paroxyſmis recurrebant & deſinebant; & hoc more magis regulari, quàm in vere prægreſſo.

Ex

Ex his multi perierunt, quibus vel defuit cura morbi, vel medelæ opportunitas. Pœnas etiam graves non raro luebant ægroti, dum vel reſpectu tantum habito ad intermittentes, prorſus neglecta eſt miſſio ſanguinis; vel e contra, dolorum lateralium causâ, nimiam ſanguinis jacturam ſuſtinebant.

Quamvis enim ſine ſanguinis miſſione, qui plerumque inflammatus fuit, raro ſanati ſunt ægri, adeo tamen langueſcebant vires & diminuta erat fibrarum tenſio, ut largas evacuationes ſine inſigni virium collapſu non ſuſtinebant; forſan ob viſcidum & vapidum humorum ſta-

QUÆST. 44. Annon ex hoc ſtatu corporis, & gelida hac aeris temperie patet horum effectuum ratio? Et annon ex iiſdem patet, cur intermittentes hæ prioribus ſint perfectiores; laterumque dolores paroxyſmis certiùs reſponderent?

tum ab intermittentibus productum. (44)

Maxima *Februarii* pars, ratione habitâ ad anni tempeſtatem tepida fuit, quo tempore, dolores pleuritici & cephalalgiæ in paroxyſmis intermittentium, magis quàm antea, urgebant; & ad delirium excitandum prona erat febris. Hoc autem ſymptoma miſſione ſanguinis, & regimine debito, facile præcaveri potuit. (45)

Circa hoc tempus anginæ multæ, ſumma cum ſuffocatione ſociatæ, graſſatæ ſunt; quæ, niſi brevi ſolutæ, exitiales fuerunt. (46)

Annus 1728. Iidem morbi *Martium* comitati ſunt, quo tempore admodum inconſtans

QUÆST. 45. An quæſtionem 36 non probant hic aeris ſtatus, & horum morborum ſymptomata?

QUÆST. 46. Annon a prædicto ſtatu corporis, & rarefacto, ab aucto calore, ſanguine, patet etiam hujus morbi cauſa?

ſtans fuit cœlum; æque tamen ac in aliis annis tepidum. Circa finem hujus menſis intermittentes quartanæ, quæ per totam hyemem manſiſſent, in tertianas & quotidianas converti incipiebant, inter quas etiam remittentes quædam caput oſtendebant; præcipuè tamen in menſe ſubſequente, cujus initium ſolito calidius fuit. Brevi autem ſuccedebant pluviæ ferè continuæ, tepidæ, quæ in menſem *Maium* porrectæ ſunt; quas ſequebatur aeris temperies valdè calida.

Paulo poſt hoc tempus iterum caput attollit febris putrida. (47) (48) (49).

Symp-

QUÆST. 47. Annon ſucceſſio harum febrium ſibi invicem, pro ratione aucti vel diminuti caloris, tam in variis annis, quàm variis ejuſdem anni tempeſtatibus, naturam & indolem earum eandem fere eſſe demonſtrat; differentias autem a minori fluore lentoris febrilis, & torpidiore

 ſanguinis

Symptomata in accessu morbi plerumque mitia, benigna, & nequaquam periculosa videbantur, neque

sanguinis motu, in tempestate frigida; & a fluxiliori statu, agiliori motu, & majori forsan copia, acrimonia, & putredine in calidiore, plurimùm pendere? durante enim calore regnavit febris putrida, hoc autem declinante, in intermittentem, & deinde hyemis frigore in quartanam, convertebatur. Pari etiam ratione accedente vere, iterum surrexerunt intermittentes, quæ pro ratione caloris adaucti, febribus continuis similiores evaserunt, quousque tandem auctis ulterius volatilitate, acredine, & putredine materiei, febrem putridam producebant. Et annon hoc sic se habere, exinde etiam patet, quod quo magis ad intermittentes perfectas vergunt febres, & longiori intervallo sibi mutuo succedunt Paroxysmi, eo cæteris paribus, dissolventia fortiora postulant, & vice versa; ut tam in remittentibus quàm intermittentibus quotidianis, tertianis, & quartanis videre est. Vide quæst. 6. 10. 11. 15. 17. 19.

QUÆST. 48. Annon itaque hinc patet, cur febres putridæ, ardentes & continuæ remittentes, in intermittentes sæpe sponte desinant? Et cur exacerbatio symptomatum die pari, inter signa mala ab Hippocrate numeratur? Quippe hæ febres, cum bonæ sunt indolis, tertianarum legitimarum more, a primo fere insultu exacerbantur

neque multum a ſtatu naturali deflectebat pulſus, infauſto tamen non raro eventu.

Urina rubedine minori quàm anno priore tincta fuit; in quibuſdam turbida manſit, in aliis autem ægris ſedimentum ſubalbidum & flaveſcens parcâ tamen copiâ depoſuit, ſenſim autem morbo ingraveſcente pallebat. Circa faciem & pectoris regionem ægri plerumque ſudabant, dum calor & ſiccitas reliquum corpus occupabant, & in fine morbi

cerbantur & remittunt; Anomalæ verò non ante diem ſextum, octavum vel decimum, remiſſiones & exacerbationes regulares oſtendedere incipiunt, & ideo harum mitiſſimæ vix ante quintum remiſſionem pati poſſunt; quod tam materiæ febrilis copiam majorem, quàm auctam putredinem denunciat.

QUÆST. 49. Annon hinc patet, cur intermittentes vernales ſæpe accedente calore ſponte ſolverentur; Autumnales verò, hyemis frigore pejores & diuturniores fierent; diſſoluto ſcilicet a calore lentore, vel auctâ ejus viſciditate in tempeſtate frigidiore; ut &, cur una alteram ſæpe profligaret?

morbi Apthæ palatum & oris velamenta obſidebant.

Hæc ſymptomata in dies augebantur, accedente circa diem duodecimum, nonnunquam citiùs, delirio; cum urina tenui, pulſu debili, frequenti, inæquali, cui motus tremuli, collectio floccorum, aliaque mortis prænuncia ſuccedebant. Hoc autem obſervatu non ſit indignum, quod ægrorum nonnulli vomitu & copioſo alvi fluore primis hujus febris diebus correpti ſunt, qui omnes brevi ſanitati reſtituti ſunt; profligatâ ſcilicet, vel horum ope, omnino febre, vel diminutis ejus viribus in intermittentem conversâ.

Pari quidem ſucceſſu dato vomitorio, & poſtero die inſtitutâ Catharſi, leviora fiebant ſymptomata, & ſæpe in intermittentem vel remittentem convertebatur hæc febris, quæ aliter incerti & admodum fal-

lacis

lâcis fuit judicii, illâque anni prioris longè periculosior.

Hic autem effectus alvi solutioni maximè tribuendus esse videtur, eo quod vomitorium omissa catharsi, non æque feliciter ægris successit, ac omisso vomitorio Catharsis; forsan quia tam hæc febris, quàm illæ initio veris apparentes, caput & superiores corporis partes præ cæteris afficiebant, & ad delirium excitandum pronæ fuerunt. Hunc autem salubrem lenium Catharticorum, præ vomitoriis, effectum, in aliis etiam febribus sæpe notavi, maximè verò quibus sursum tendebant humores. Et revera meritò quæri potest, an constans Emeticorum in accessu febris exhibitio, ut vult Sydenhamus, & ponit hodierna praxis, nisi a materie prava in ventriculo hospitante indicatur, mala non levia post se frequenter trahat; cum ex

ex quàm plurimis caufis, ab hac longe diverfis, derivari poffe hunc vomendi conatum, docent partium confenfus & nervorum propagines. Certè, ni me multum fallit obfervatio, Emetica in febribus caput petentibus non tantum inutilia, quinetiam perniciofa fymptomata in morbi decurfu producentia, a Cerebri vafis nimis inde repletis & concuffis, non rarò notavi. (50) (51)

Hic

QUÆST. 50. Annon urina in morbi initio turbida, fenfim verò morbo ingravefcente pallefcens, remiffio fymptomatum accedente diarrhœa, cæteraque morbi phænomena materiam febrilem largâ copiâ ingeftam, vafculis extremis validè impactam, coctu difficillimam, naturæ vires morbo impares, & ad crifin regularem producendam nimis imbecilles effe demonftrant?

QUÆST. 51. Annon morbi hyeme & veris initio apparentes, fanguinem acrimoniâ & lentore, liquidum autem nerveum auctâ acrimoniâ & diminutâ copiâ peccare denunciant? Et annon talis liquidorum ftatus, fuperveniente tem-

peftate

Hic autem obitèr adnotare conveniat, ſcilicet, quod, ineunte febre quâlibet epidemicâ, frequentiſſimè accidit, ſanos & ad negotia valentes, levi aliqua de cauſa per dies quoſdam ægrè ſe habere, quos vel ſpontaneum alvi profluvium, vomitus, ſudoreſve a natura excitati ſanitati reſtituunt; quæ excretiones criticæ, licèt in variis hominibus diverſæ ſint, ſingulæ tamen alicujus præ cæteris frequentia indolem ineuntis epidemici haud raro denunciat, viamque monſtrat, quâ præ cæteris, in morbo accedente materiem febrilem extrudere, ægroſque levare molitur natura. Adeoque certa & conſtans eſt hæc naturæ methodus, ut

peſtate calidâ & humidâ, corpus ad febrem mali moris ſuſcipiendum neceſſariò inclinat? Annon hæc olim obſervarunt Medici? Et an hoc non docent Apthæ?

ut vix quemquam ſynochum epidemicè graſſantem recordari poſſum, in quo, etiamſi de hac re ne minimum tunc temporis ſuſpicarer, hujus generis indicium non prodidit natura.

Eodem tempore apparuit febris huic ſimilis, niſi quod maculæ rubræ pulicum morſibus non abſimiles, & nonnunquam interſperſus rubor, more marmoreo variegatus, circa pectus apparuere. Reſpiratio ante exanthematum eruptionem difficilis, anheloſa, & ſuſpirioſa, iis autem apparentibus, levior fuit & pacatior. Multis horum caput dolebat, in quibus ſæpe ſequebatur e naribus ſanguinis eruptio, qui per ſeceſſum nonnunquam, ſed rariùs, ejectus eſt. His miſſio ſanguinis ex uſu fuit, (de ſalubri cujus eventu, capitis dolor, in his quàm aliis, major, ſatis certum exhibuit præſagium)

um) neque exanthematum eruptioni obſtabat, ut ut de materiæ brevi ex pulſuræ cunctatione delirent timidi; rariùs autem prioribus neceſſaria fuit talis evacuatio. A regimine calido & cardiacis fortioribus advenit utriſque delirium, & mors præ foribus adfuit, ſive fallaci materiæ expellendæ nomine, alióve quolibet titulo ſpecioſo exhibita fuere. Quoad reliqua ſymptomata cum febre ſupra deſcripta congruebat. An verò hæc & illa planè ejuſdem ſint ſpeciei, & a particulari quadam ægrotorum idioſyncraſiâ, phænomenis quibuſdam diverſæ fierent, aſſerere nolo. Hoc tamen a complurium ſymptomatum ſimilitudine, & ab evacuationibus, licèt diverſis, in morbi acceſſu utriſque neceſſariis, veritati non abſimile videtur.

Junii temperies calida fuit & ſicca, vento pauco, eoque plerumque ex

ex plagis auſtralibus & occidentalibus conjuncta.

Duravit more prædicto febris putrida, & multum graſſatæ ſunt remittentes; multique ex iis qui hyeme aut vere præcedenti febribus intermittentibus affecti fuiſſent, febre hecticâ, ſudoribus nocturnis, vigiliis, doloribus vagis, & totius corporis languore laborabant.

Circa medium *Julii* frigidius fuit cœlum, deſcendebat Thermometri ſpiritus ad 45, ventus, auſtrum relinquens, ex ſeptentrione ſpirabat, & deſcendebant pluviæ.

Hoc tempore pleuritides & anginæ ſupra deſcriptæ iterum recurrebant, & intermittentes frequentiùs redierunt, eos præ cæteris afficientes, quos autumno vel vere præcedente corripuiſſent.

Redivit tempeſtas ſicca circa finem hujus menſis, & per totum fere

re *Auguſtum* porrecta eſt, frigore tamen majori conjuncta quàm huic anni tempeſtati familiare eſt.

Duravit adhuc febris putrida, ſymptomatibus tamen hoc tempore gradu aliquo diverſis, tam ab iis quæ æſtatis initio hanc febrem comitata ſunt, quàm iis quæ eam anni præcedentis obſidebant. Quippe raró ſtupidi & ſomnolenti fuerunt ægri, ut in anno priore; urina etiam non æquè turbida fuit ut poſteriore febre, pulſus veró plerumque fortior erat, magis delirabant, & atrociores fuerunt ægroti: Miſſionem etiam ſanguinis ad remiſſionem ſymptomatum procurandam ſæpiùs poſtulabat febris. Quæ omnes ſymptomatum variationes, à variatâ fibrarum ſtricturâ, denſiori ſanguinis compage, motuque ejus validiore & magis inflammatorio, huic quàm præcedenti aeris conſti-

tutioni magis ſamiliaria, pendere videntur.

Eodem tempore plurimum graſſatæ ſunt remittentes, & eaſdem in ſymptomatibus variationes paſſæ ſunt quas in febre putrida numeravimus; tandem verò in intermittentes convertebantur, & pro variis ægrorum viribus, variiſque inflammationis gradibus, quotidianas, tertianas, vel quartanas producebant.

Aucta in *Septembre* frigiditate, & ſpirantibus ventis aquilonaribus, ſalubrior aliquo gradu evaſit tempeſtas. Evanuit enim febris putrida, & minùs graſſabantur remittentes; manebant tamen æquè frequentes intermittentes, frigore majori, doloribus pleuriticis & rheumaticis in paroxyſmis comitatæ. Hæc autem ſymptomata, profligatâ febre, ſponte ceſſabant; Evacuationes tamen paulo majores, & pro morbi genio

genio variatas, quàm intermittentes ſimplices poſtulabant.

Duravit hæc aeris & morborum conſtitutio per totum ferè *Octobrem*, eique ſuccedebant pluviæ copioſæ, & tepidus ſpirabat auſter, quæ cœli temperies ad finem ferè *Novembris* extenſa eſt. Hæc anni tempeſtas admodum fuit ſalubris, morbi enim vix ulli, paucis exceptis intermittentibus, apparuerunt. Circa autem hujus finem ab auſtrali in borealem plagam tranſivit ventus, & acre gelu cœlum, per duas hebdomadas occupavit, quo tempore quantitate non exiguâ deſcendebant nives.

Subitanea gelidæ tempeſtatis acceſſio, quâ Thermometri ſpiritus primò a 56 ad 76, & paulo pòſt ad 80 deſcendebat, & quæ ſolito citiùs advenit, alvi profluvia, tormina, & dolores pleuriticos in par-

oxyſmis intermittentium (quæ ſparſim tantùm apparebant,) & apoplexias quaſdam, & nervorum reſolutiones, præcipuè circa gelu ſolutionem adduxit.

Paulo ante Chriſti natalem iterum redivit gelu multa nive comitatum, & rigiditate ſummâ circa menſem duravit, eoſdem morbos producens, quos hyeme gelosâ anni 1715 ſupra deſcripſimus. Remittentes autem nullæ & intermittentes paucæ tantùm apparebant. Soluto autem gelu iterum caput attollit febris intermittens, doloribus pleuriticis in paroxyſmis frequenter ſociata. Graſſabantur etiam multæ pleuritides, anginæ, & peripneumoniæ veræ & nothæ, tam ſanos quàm eos occupantes, qui febribus intermittentibus æſtate vel autumno laboraſſent, multumque plebis è vivis ſuſtulerunt. Hi ægri diuturnis febris

febris intermittentis ictibus debilitati, miſſionem ſanguinis largam, non minus quàm Anno præcedente, malè ferebant, & eandem medelam quam ibi deſcripſimus poſtulabant.

Longè autem ſecus iis ſanis & robuſtis evenit; qui tempeſtate geloſâ morbis verè inflammatoriis correpti ſunt, qui non obſtante cœli rigiditate miſſionem ſanguinis largam, eamque pro gradu ſymptomatum repetendam poſtulabant. Calor tamen externus ſolito major, & medicamenta paulo ſubtiliora, in his, quàm contrariis aeris temperamentis ægrotis fuerunt neceſſaria; quorum ope laxatæ ſunt fibræ, & major ſanguini conciliatus eſt fluor.

Ipſæ etiam intermittentes hos morbos æmulantes, quæ hoc tempore ſanos & robuſtos obſidebant, ſine repetitâ ſanguinis miſſione vix

feliciter curari potuerunt. Hac enim omiſſâ, vel parcâ nimis manu inſtitutá, in pleuritides aut peripneumonias veras & brevi lethales tranſiverunt; eoque præcipuè, ſi Corticem Peruvianum, ad intermittentem profligandam, præproperè ſumpſiſſent ægroti.

Durante *Februario* admodum frigida fuit cœli temperies, multa nive, fortique gelu comitata, non tamen ea ratione, ut in menſe præcedente, frigida.

Iidem morbi graſſabantur, hoc autem per totam hyemem obſervare licebat, quod quò magis tepidus & placidus fuit aer, eò frequentiores fuerunt intermittentes, eóque magis ad ſpeciem remittentium continuarum approximabant, & vice verſa. (52) (53)

Et

QUÆST. 52. Annon hic morborum in ſe mutuò tranſitus, variis caloris & frigiditatis gradibus,

Et etiam, quod quò magis acris, rigida, & gelida fuit tempeſtas, eò plus graſſabantur morbi inflammatorii, & intermittentes horum ſpeciem in paroxyſmis induebant.

Martii temperies frigida fuit & Annus
ſicca, ſpirante acri vento aquilona- 1729.

dibus, in hac tempeſtate, æquè ac autumno vel æſtate præcedente eſt tribuendus; præcipuè cùm tam ſolidæ, quàm fluidæ corporis partes, eaſdem mutationes ab his cauſis ſubeunt? Hoc autem fieri, *viz.* unum aeris ſtatum ab altero, in hac tempeſtate æquè ac æſtate, eadem ratione diſtare docet Thermometrum.

QUÆST. 53. Annon itaque hinc ſolvitur problema illud difficile, cur morbi epidemici naturâ ſuâ ſimiles, in aeris temperamentis ſibi invicem longè diſſimilibus frequenter inveniantur? Quippe eadem aeris temperies quæ in æſtate frigida apparet, & humores denſiores fibraſque ſtrictiores reddit, hyeme tepida videtur, fibrarum tonum relaxat, & fluida rareſcere cogit. Hoc autem Phænomenon occultam aliquam aeris facultatem epidemicis ſolùm originem præbere, medicos omnes ſuſpicari, imo & concludere induxit. Hìc autem morbos noſtros vulgares, non peſtilentiales aut contagioſos intelligo.

ri, quæ cœli facies uſque ad finem *Aprilis* porrecta eſt; adeo ut ipſum ver, ratione frigiditatis, tempeſtati hyemali, potiùs quàm vernali ſimile fuit. Hac tempeſtate tuſſes puerulorum convulſivæ fere innumeræ, anginæ, peripneumoniæ, pleuritides, rheumatiſmi, cephalalgiæ, ophthalmiæ, eriſypelatodes, pruritus, & eruptiones cutaneæ plurimùm graſſabantur, quæ omnia à frigiditate hyemis prægreſſæ, & acri hac tempeſtate vernali oriri videbantur. Apparebant etiam intermittentes quædam paucæ tam regulares quàm anomalæ, hæ tamen plerumque quartanæ; quouſque adaucto in vere calore, tertianæ & quotidianæ iis frequentiores fiebant; prædictorum tamen morborum numero nequaquam æquales.

Initio *Maii* pluvias frigidas largâ copiâ adduxit ventus borealis, quæ cœli

cœli facies ad medium fere menſis extenſa eſt. Ab hoc tempore calidior fuit aer, gradu tamen ſolito minori, ſpirantibus ventis plerumque ex plagis orientalibus.

Duraverunt morbi inflammatorii per totum fere *Maium*, licèt minùs frequentes, largaſque evacuationes, tam ſanguinis miſſione quàm catharticis, pro morborum natura plerumque poſcebant; ſenſim tamen adveniente calore decreſcebant, quouſque tandem *Junii* initio penitus evanuerunt.

Hujus menſis temperies calida fuit & ſicca, paucis exceptis circa medium diebus, quibus deſcendebant pluviæ largæ ſubfrigidæ.

Duravit hæc calida temperies per *Julium* & *Auguſtum*, & uſque ad medium *Septembris*, niſi quod circa finem *Julii*, per dies aliquos, multum pluebat.

Hæc

Hæc tempeſtas ad finem fere *Auguſti* ſalubris fuit; circa hoc autem tempus graſſari iterum incipiebant remittentes & intermittentes, & plurimos occupabant; quæ poſteriores, ob paroxyſmos longos & duplicatos, ſpeciem continuarum præ ſe ferebant, ſenſim tamen vel parte aliquâ materiæ febrilis à vi febris ſubactâ & expulsâ, vel evacuationum generalium ope mitigatâ, in intermittentes regulares converſæ ſunt, & Corticis Peruviani viribus ſe ſubjecerunt. (54) (55)

Hic

QUÆST. 54. Annon hinc patet cur vigente febre continuâ vel paroxyſmo intermittentis, infelici eventu exhibetur Cortex; quippe auctâ hujus ope fibrarum ſtricturâ, & diſſolutis majori ratione humoribus, augentur materiæ morbificæ vires & acrimonia, magis cum humoribus commiſcetur fomes morbi, & plus dominatur febris; profligatâ autem hujus parte magis acri & mobili, vel vi febris continuæ, paroxyſmi particularis, aut regimine debito, non tantum

Hic autem obiter notare liceat, quod quamvis hæ febres plurimùm graſſatæ ſunt, tardiùs tamen hoc anno, quàm vulgò ſolent, ſe oſtenderunt; forſan ob tardiorem tempeſtatis calidæ adventum; manebat enim aer ſolito frigidior uſque ad *Junium*. Ex qua etiam cauſa fiat, quod etiamſi multi his morbis affecti ſunt, & admodum inſalubris fuit tempeſtas, per totam hanc æſtatem vix apparuit febris putrida. Circa idem tempus iterùm inter in-

tum diminuitur copia, ſed blandioris naturæ fit lentor febrilis, & eventu feliciſſimo exhibetur Pharmacum?

QUÆST. 55. Annon etiam hinc patet, cur errore medelæ intermittentes ſimplices in continuas, continuæ in febrem putridam, ardentem, vel malignam converti poſſint, & quinam hi errores? Et annon etiam patet, quibus modis, & quo regimine, febres naturâ ſuâ periculoſæ, in benigniores minuſque lethales ſæpe converti poſſint, & quo morbi tempore hoc præcipuè tentandum?

ſantes

ſantes caput attollit tuſſis convulſiva ſuffocatione magnâ & ingenti materiæ pituitoſæ copiâ, præcipuè circa adventum tempeſtatis humidæ ſuccedentis ſociata. Approximatio hyemis eundem in remittentes effectum quem ſupra oſtendimus produxit, manebant tamen intermittentes, numero licet pauciores. (56) (57) (58) Humida

QUÆST 56. Annon in regionibus calidis, præcipuè ardente Syrio, torrida aeris temperies, præ cæteris, in cauſa ſit, cur febres putridæ ardentes, & malignæ his regionibus quàm frigidioribus magis ſunt familiares; exuſto ſcilicet magis ſanguine, & vi caloris parte ejus blandâ ſpoliato, unde acrior, ſubtilior, & majori putredine donata eſt materies febrilis, & indolis pejoris neceſſariò fiat febris?

QUÆST. 57. Annon ipſa febrium malignarum natura, imo & peſtilentiarum origo hinc intelligi poſſunt; exaltatâ ſcilicet ad tantam acrimoniam & volatilitatem vi febris & caloris putredine febrili, ut liquidi nervoſi ſanguinisque texturam ſubitò proſterneret? Annon hæc ſtabiliunt peſtilentiarum hiſtoriæ & phænomena; effluviorum quorundam venenatorum natura

Humida tempeſtas circa medium *Septembris* incepit, quo tempore ventus orientem relinquens ab auſtro ſpirabat, & paucis exceptis diebus, ad medium fere *Decembris*, ingenti pluviarum deſcenſu porrecta eſt, cæteriſque omnibus prioribus magis humida fuit & nebuloſa, ut tam Barometro quàm Hygroſcopio apparuit.

Hac

tura ; & putrefactiones quædam animales, tam morborum actione, quàm arte chymica, ad ſummam acredinem & volatilitatem perductæ & ingentes in humoribus mutationes, deſcriptis non abſimiles, producentes ?

QUÆST. 58. Annon hinc etiam patet, cur febres remittentes & intermittentes huic inſulæ, in aere frigido & humido poſitæ, adeo ſunt familiares? Et cur priores tempeſtates ſiccas & calidas, poſteriores autem eas paulo frigidiores infeſtarent ; & diminuto calore prioribus ſuccederent ? Et annon ab eâdem ad intermittentes propenſione, acribuſque brumis quibuſdam prægreſſis patet, cur hæ febres cum Laterum doloribus aliiſque morbis inflammatoriis, in annis prædictis, adeo fuerint complicatæ ?

Hac tempeſtate erupit febricula quæ omnes fere aggreſſa eſt, horrore levi, laſſitudine, tuſſi ferè perpetuâ, raucedine, capitis dolore, & ſpirandi difficultate comitata; quæ ſymptomata ſanis & robuſtis non multum damni attulerunt, & brevi evanuerunt. Mala autem non levia morbidis omnibus, præcipuè tabidis, cachecticis, ſenibus pituitoſis, craſſis, plenis, & iis qui febribus intermittentibus affecti fuiſſent, afferebant. His enim pleuritides & peripneumonias brevi ſuffocantes alioſque conſimiles morbos adducebant, qui horum non paucos è vivis ſuſtulerunt.

Hi omnes effectus, licèt tunc temporis, ob frequentiam & inſultum ſubitaneum adeo admiratione habiti ut ad neſcio quam aeris malignitatem a multis aſcripti ſint, a debiliore Pulmonis expanſione, & perſpirabilitate

rabilitate corporis, præcipuè partium maximè aeri expoſitarum ſubitò ſuppreſſâ, ex ipſa lege circulationis neceſſariò produci videntur. Quippe obſtipatis ab humidi frigidique aeris applicatione his partibus non tantum induci febriculam, quinetiam fortiùs in loca interna vicina impelli humores; & inde defluxiones, tuſſes, raucedines, obſtructiones, & inflammationes ibi neceſſariò fieri, docet ipſa vaſorum ſtructura.

An autem his aeris qualitatibus quæ in hac urbe lociſque vicinis hos morbos comitatæ ſunt, tribuendi ſunt hi morbi, qui totùm ferè regnum obſidebant, affirmare nolo, hac tamen tempeſtate, quæ à ſiccâ orientali in humidam auſtralem ſubitò converſa eſt, hunc morbum hìc caput primùm oſtendiſſe, & per maximam

maximam ejus partem duraviſſe ſatis novi.

Qui labe hyſtericâ & hypochondriacâ antea affecti fuiſſent, hoc tempore male ſe habebant, & multi vomitu, dolore ventriculi & inteſtinorum flatulento & diſtendente laborabant. Doloribus etiam rheumaticis & arthriticis correpti ſunt languidi & ætate provecti, potiùs a colluvie ſeroſa quàm ab acrimoniâ materiæ inflammatoriæ obortis, ut ex partium affectarum tumore œdematoſo & lento dolore ſatis patebat.

Quidam etiam hoc tempore febre lentâ decubuerunt, pulſu molli, dolore vel gravedine capitis, ſudoribus vagis, ſpirituum languore & urinâ turbidâ comitatâ, quæ nunc ſudoribus, nunc diarrhœâ judicata eſt, frequentiſſime tamen in intermittentem convertebatur.

Hic

Hic morbus ad remittentium prædictarum classem pertinere videbatur, licet variationem quandam ab anni tempestate cœlique differentiâ subiret, a quorum effectibus pulsum debiliorem, caputque majori gravedine affectum fuisse admodum verisimile est; tam ob hujus tempestatis effectus in sanos, quàm ob eadem phænomena, in simili aeris temperie, has febres comitantia. Ægris enim omnibus, ex quocunque ferè morbo laborantibus, accidebant tussis ferè perpetua, dolor aut gravedo capitis, stupor, & somnolentia.

Hac tempestate sparsim apparebant variolæ, moris autem magis benigni & discreti, quàm in alia qualibet unquam vidi; quod forsan ab humida & molli aeris temperie, ob rationes supra allatas, accideret.

Tempeſtas humidiſſima a me obſervata, hâc ſolâ exceptâ, anno 1725 accidit; illa autem poſteriorem veris, æſtatiſque maximam partem occupavit; ſpirabant etiam venti ſeptentrionales, ſolito frigidior fuit aer, & vernali quoad frigiditatem non abſimilis; non tamen fuit inſalubris, paucis tum apparentibus morbis; forſan quia minus a præcedente decederet aeris ſtatus, & etiam, quod effectum nimiæ humiditatis, gradu aliquo, diminueret ſeptentrionalis venti vis contractilis. Hæc autem conſtitutio autumnum & initium hyemis, prægreſſâ tempeſtate calidâ & ſiccâ, poſſidebat, & humidi ſpirabant Auſtri, quæ ambo vires ejus augerent, majorem humorum colluviem producerent, in deſcriptas corporis partes dirigerent, morbiſque prædictis, præ cæteris, ortum præberent.

In

In utriſque autem effectum diuturnæ humiditatis obſervare licet; diverſo quamvìs gradu, pro ratione tempeſtatis præteritæ, & frigoris adaucti. Erupit enim in ambobus lenta febricula, tuſſi, capitis gravedine, ſtupore, ſomnolentiâ, & aurium hebetudine comitata; pituitâ gravabatur pulmo; ſæviebant paſſiones hyſtericæ & hypochondriacæ, iique qui apparebant morbi inflammatorii, mitiores erant & benigniores.

Circa medium *Decembris* ſenſim decreſcere incipiebant pluviæ uſque ad Chriſti natalem, quo tempore placidum & ſerenum fuit cœlum, auſtris adhuc leviter ſpirantibus, adeo ut veri potiùs quam hyemi ſimilis fuit aeris temperies; parum enim adhuc apparuiſſet gelu, nullæ deſcendiſſent nives. Paulo ante medium *Januarii* ſpirabant borea-

les, frigidior fuit aer, & deſcendit pauxillum nivis ; redivit autem brevi ad priorem temperiem cœlum, eâque ut plurimùm ad finem *Februarii* permanſit. Circa hoc tempus redibant boreales, & deſcendebant majori copiâ nives, quibus ingenti copiâ ſuccedebant pluviæ frigidæ, quæ ad *Martii* medium porrectæ ſunt.

Poſterior hyemis pars non admodum fuit inſalubris, tabidos autem quoſdam & aſthmaticos quaſi ex improviſo enecavit ; auctis ſubitò tum ſpirandi difficultate, tum crurum tumoribus. Tempeſtate etiam frigidâ apparuerunt quædam pleuritides, aliique morbi inflammatione ſtipati ; graſſabantur variolæ, moris autem benigni ; & apparebant febres quædam miliares, petechiales, & intermittentes, nequaquam

quam tamen confortim graffantes.

Irregulares plerumque fuerunt hæ intermittentes, maximè tamen vel caput dolore infigni periodico, vel thoracem pleuritidis fpecie occupabant. Miffo autem fanguine, vel inftitutis pro re nata aliis evacuationibus, corticis Peruviani viribus fe fubjecerunt, aliamque medelam vix poftulabant. In his autem morbis tractandis, præpropera hujus pharmaci exhibitio, ut fæpe notavi, fic hoc etiam tempore, gravia non rarò induxit fymptomata: Quippe in his, ut in pleuritide vera, fanguis plerumque inflammatus fuit, atque ideo dato nimis citò pharmaco, in vafa obftructa & contracta impetu nimio ruebat fanguis, & pejora fiebant fymptomata.

Nec minus in fimplicibus etiam intermittentibus felicitèr curandis,

& penitùs profligandis fruſtra ſæpe operam impendunt, qui ſolâ corticis ope curationem moliuntur, niſi regimine debito in ſtatum, ad effectus medicamenti recipiendos idoneum, reducantur aegri. Imò & profligatâ febre, non leves ſæpe ſuperandæ ſunt difficultates, priuſquam ex toto convaleſcunt ægroti; qui pro diverſis temperamentis, variis vivendi modis, febriſque effectibus, morbis ſibi invicem longe diſſimilibus afficiuntur; manent quippe icterici, ſcorbutici, cachectici, phthiſici, hectici, hydropici, qui morbi a frequentibus febris inſultibus, habitu cacochymico ante nato, & nonnunquam regimine parum idoneo producti, tali methodo ſæpe præcaveri potuiſſent. (59) (60)

Man-

QUÆST. 59. Annon hinc patet, quàm varia pro diversâ humorum dyſcraſiâ a febre relictâ, requiritur medela, ut ad ſanitatem perfectam, præ-

Manſerunt adhuc ſparſim variolæ ſupra memoratæ, ſenſim tamen vere appropinquante evanuerunt.

Vernalis hujus anni temperies a medio *Martii*, ad finem ferè *Aprilis*, ſenſim caliditate creſcebat, ſpirante vento occidentali. Annus 1730.

Duraverunt ſparſim intermittentes prædictæ & morbi quidam inflammatorii, qui poſteriores ſolito rariores in hoc anni tempore ſe oſtendebant. (61)

Circa

præſertim cùm ſæpe redivit febris, reducantur aegri?

QUÆST. 60. An itaque catharſin omnem recte prohibet Sydenhamus? Et an conveniunt omnibus chalybeata, amara, aromatica, aliáque ſimilia?

QUÆST. 61. Annon tepida & humida hyemis temperies, aeriſque calor vernalis ſenſim adauctus, cujus ope placidè & gradatim ſolvebantur humores, in causâ ſint, cur rariùs acciderent morbi inflammatorii, quàm in annis quibuſdam prioribus; eoque præcipuè cum poſt hyemem

K 4 valde

Circa autem finem *Aprilis Maique* initium ſpirabant aquilonares frigidi & ſicci, qui alvi fluores, ventris tormina, & paſſiones quaſdam iliacas, ob retentum forſan perſpirabile, & humores in interiora repulſos priori catervæ addebant.

Circa medium *Maii* calidior fuit aer, & deſcendebant pluviæ vagæ erraticæ, quales in vernali tempore videre eſt. Hoc tempore paulò frequentiores fuerunt intermittentes, quæ in icterum non raro deſinebant, qui morbus ſolito frequentior fuit, alioſque febribus nequaquam affectos corripuit. (62)

Hæc

valde acrem & frigidam, adaucto ſubitò in vere calore, tales morbos confertim apparere deprehenſum eſt? Et annon hinc ulterius patent Quæſt. 4. 26. 30. 35. 40. 46.

QUÆST. 62. Annon prægreſſæ hyemis temperies, inertis pituitæ copiam augendo, eamque in vaſculis, quibus aliàs magis langueſcit ſanguinis motus, accumulando, huic effectui cauſam

Hæc cœli facies brevi evanuit, ſpirantibus enim borealibus ſolito frigidior & humidior evaſit tempeſtas, eoque ſtatu paucis exceptis diebus ad initium *Auguſti* permanſit. Huic ſuccedebat placida & ſerena cœli temperies, quæ per aliquas hebdomadas duravit, ſpirantibus plerumque occidentalibus.

Tota hæc æſtas & autumnus ſalubres fuerunt, prout antea in æſtate humida anni 1725 obſervavi, paucis morbis, iiſque boni moris ſe oſtendentibus; niſi quôd ſub initium *Auguſti* cholerâ levi quidam affecti ſunt. Graſſabantur etiam va-

cauſam præberet; quippe rareſcente ab aucto calore ſanguine, in talium vaſorum glandulas præ cæteris propelletur viſcidum, eaſque obſtruet; tale autem viſcus eſſe hepar docet Anatome? Et annon hoc ulterius ſtabiliunt medicorum obſervationes, Venæ Portæ fabrica, & leges hydraulicæ?

riolæ

riolæ & morbilli in locis quibuſdam vicinis, hac tamen urbe ante autumnum vix apparebant.

Poſterior autumni pars hyemiſque initium humida fuerunt & pluvioſa, & frequentiores erant tum variolæ tum morbilli; pauci verò alii (exceptâ peripneumoniâ quâdam lentâ, quæ circa hyemis initium apparuit) ſe oſtendebant febriles morbi. Duravit humidus hic aeris ſtatus ad finem ferè *Novembris*, & ei ſuccedebat acre gelu, nive & ventis aquilonaribus comitatum.

Hoc tempore ſurrexit ſubito ad ſummam fere altitudinem in Barometro hydrargyrum, & viginti circiter gradus deſcendit Thermometri ſpiritus, qui aeris ſtatus circa hebdomadam duravit.

Frigida hæc aeris temperatura peripneumonias adauxit, pleuritides etiam quaſdam, & diarrhœas torminibus

minibus comitatas produxit; pleuritides verò peripneumoniis multò fuerunt rariores; forſan ob laxatum fibrarum tonum, minorem veſicularum inflationem in prægreſſâ humidâ temperie, aliaſque cauſas in Quæſt. 34. allatas, pulmonem præ cæteris viſceribus afficientes. Brevi iterum redivit gelu paucâ nive comitatum, iterumque ſenſim eodem temporis ſpatio ſolvebatur.

Manſerunt adhuc variolæ, morbilli, aliæque nonnullæ febres eruptionibus cutaneis comitatæ, nequaquam tamen pravæ indolis, licet non æquè benignæ in hac tempeſtate ac mitiore prægreſſâ.

Initio *Januarii* ingens decidit nivis copia, & iterum redivit gelu, quod, paucis exceptis intervallis, per totum hunc menſem duravit, & initio ſequentis ſolvebatur.

Hoc

Hoc tempore, adauctis viribus, graſſari incipiebant morbi inflammatorii, iique qui variolis correpti ſunt in pejus ruebant, & majorem morbi ſævitiem quàm antea ſuſtinebant.

Hac autem tempeſtate, urbem reliqui, & per aliquas ſeptimanas aliò ſum diverſatus: Quantum tamen ab aliorum obſervationibus colligere potui, iiſdem morbis comitata fuit hæc tempeſtas, tam durante gelu quàm circa ejus ſolutionem, quos in tali aeris conſtitutione anteà numeravi; qui vel a nimia vaſorum ſtrictura, humorum condenſatione, & in vaſa ob frigus externum retropulſione; vel liquidorum, a ſoluto gelu, rarefactione, oriri videbantur. Quæ omnia, quo magis ſunt ſubitanea & ab extremâ & diuturnâ quâcunque temperie in contrariam celerius commutantur,

tur, eo majori vi corpora noſtra afficere & morbos plures, eoſque graviores producere ſolent, & vice verſâ.

Diſſolutum gelu ſequebatur diuturna ſiccitas, acribus ſpirantibus aquilonibus; quo tempore, præ cæteris morbis, graſſatæ ſunt pleuritides, hac tamen cum differentia ab iis quæ hyemis initio ægros obſidebant. Illæ enim languidos & ætate provectos, præ cæteris, occupabant, & iis frequentiores fuerunt peripneumoniæ; jam verò graſſabantur veræ pleuritides, quæ juniores & ætate florentes, eoſque præcipuè robuſtos & exercitatos invaſerunt.

Hic morbus pulſu duro, dolore ſummè acuto, pelliculâ craſſâ inflammatoriâ, aliiſque ſignis inflammationis fuit ſociata; largaſque poſtulabat evacuationes. Fuit enim hæc aeris conſtitutio ei non abſimilis

ſimilis, quæ hyemem 1715 poſſidebat, niſi quod ſæpe miteſcebat, iterumque redibat gelu, unde minori vi corpus affecit frigus, & minor fuit ægrorum numerus. In ambobus autem diuturnæ geloſæque tempeſtatis effectum obſervare licet, ſummam ſcilicèt ad inflammationes producendas proclivitatem, tam a majori ſolidorum ſtrictura, quâ diminuuntur vaſorum canales & pleniores fiunt, quàm a globulorum ſanguineorum denſitate, orientem. His quippe datis, a levi errore ſæva orietur inflammatio. Unde miſſo & ſtagnante ſanguine, naturali denſior & nigrior evadet inferior craſſamenti pars, formam magis ſphæricam induet cruor, partemque ſanguinis ſeroſam citius, & majori copiâ, e ſinu ſuo expellet; dum, ab iiſdem cauſis tum formatur, tum ſurſum evehitur viſcidum iſtud inflamma-

flammatorium, partem craſſamenti ſuperiorem occupans; ut clariſſimè demonſtrari poſſet, ſi ad rem noſtram pertinebat. (63) (64) (65)

Noſcunt

QUÆST. 63. Annon hæc aeris temperies, eaque anni 1723 cum earum contrariis comparatæ, morbique diverſi in utriſque apparentes, Quæſtiones multas prægreſſas ulterius probant?

QUÆST. 64. Annon a præcedente morborum ſerie patet, cur mulieribus, aliiſque laxis & imbecillibus, quorum ſanguis plerumque tenuis, rutilus eſt, & diſſolutus, rarius accidunt pleuritides aliique morbi inflammatorii quàm viris, iiſque robuſtis, tenſis, & exercitatis; quorum fibræ ſunt ſtrictiores, & ſanguis magis denſus eſt & craſſus: Et vice versâ, febres languidæ & nervoſæ prioribus?

QUÆST. 65. Annon etiam ex iiſdem, cum Quæſt. 47. aliiſque ibi citatis, comparatis patet, cur hiſce delicatulis & lautè viventibus, quorum ſanguis, acribus abundat particulis, febres remittentes, frequentius quàm veræ intermittentes ſummo frigore & tremore comitatæ, acciderent? Et vice versâ, cur ruſticis, agricolis, aliiſque victu lento, tenaci, & aſſiduo labore utentibus, febres hæ poſteriores magis ſint familiares, ratione habitâ ad ægrorum numerum, quàm prioribus?

8

Noſcunt omnes coriaceam hanc materiem inflammationis comitem ferè eſſe individuum, quo tamen modo, in morbis his curandis, ſit hujus materiæ ſolutio, non æquè patet; quippè cum extra corpus eſt, neque oleis, neque ſalibus, ſpiritibuſve adhuc notis diſſolvi poteſt; reſolutâ autem inflammatione, circulantium liquidorum ope denuo ſolvi, ſanis humoribus commiſceri, ſimilemque reddi noſcimus.

Hoc verò in laxatione vaſorum, & juſto motûs moderamine, præ cæteris, poni videtur, eo quòd, his datis, nunquam non ſolvitur materies, etiamſi medicamentis toto cœlo diverſis tractetur malum; modò tantâ copiâ non ingerantur, ut ab hoc ſtatu aberrare cogatur natura. Cum verò hic effectus ab omni circulationis gradu non producitur, utpotè a nimis veloci augetur

getur; a tardo, vel etiam a motu liquidorum naturali fruſtrà expectatur; non forſan inutile ſit adnotare, tantam, ad hanc rem peragendam, requiri vaſorum depletionem, utcunque magna illa ſit, ut inde ſummoperè miteſcant dolores & inflammatio, adeóque laxentur vaſa, ut blando lenique madore ſponte excitato, continuò humectetur corpus, cum pulſu molli & calore naturalem paulò tantùm ſuperante.

Hoc ſtatu corporis, evacuationibus remediiſque debitis, inducto, modo ad tempus debitum ſine doloris recrudeſcentiâ protrahatur, nulloque alio, hanc ſolvi materiem ſemper obſervavi; & proinde non a certo quolibet medicamento, aut curandi methodo perfici poſſe; ſed plerumque medicamentis calorem attemperantibus, aliquando verò motum leniter cientibus, ſemper tamen diluen-

tibus, largâ copiâ exhibitis, esse tractandam.

Accidit quidèm haud raró ægris plethoricis, dolore summo & inflammatione partis alicujus laborantibus, vi liquidorum circulantium & elateris fibrarum perpetuos exprimi sudores, magno comitante calore, cum pulsu forti & pleno; talem autem statum, tum ulteriorem postulare vasorum inanitionem, tum a statu descripto longissimè discrepare, nemo est qui non videt.

Duravit siccitas cum frigore descripto ad medium usque *Aprilis*, quo tempore deciderunt pluviæ quædam frigidæ, spirante plerumque vento, vel e plagis orientalibus, vel septentrionalibus, & manebat aer frigidus ferè ad *Maii* initium. Huic succedebat calida aeris temperies, levitèr spirantibus austris & occidentalibus.

Manserunt

Manſerunt morbi inflammatorii per totam frigidam tempeſtatem; calidæ tamen acceſſu per dies aliquos frequentiores facti ſunt, & nonnullos de novo invaſerunt, qui jamjam convaluiſſent. Solito etiam plures cephalalgiâ, paralyſi, & apoplexiâ percuſſi ſunt; & apparebant paucæ quædam febres languidæ, ſudoribus largis, ægritudine, ſpirituum dejectione, & nonnunquam diarrhœis comitatæ, quæ ſymptomata per vices irregulares ægrotos excruciabant, & mulieres laxas & imbecilles, præ cæteris, obſidebant. Horum quidam largo alvi profluvio eóque plerumque torminoſo, initio morbi correpti ſunt, quod iis, præ cæteris, accidit, quibus a frequenti diarrhœa, doloribus inteſtinorum aut ventriculi, debilitata fuiſſent viſcera abdominalia; ſæpe verò morbum ſolvit, ut hoc menſe anno 1728 ſupra

 notavimus;

notavimus; quo tempore calida temperies frigidæ ſubito ſucceſſit. Hoc tamen tempore benignior minuſque frequens fuit febris, ob minorem forſan caliditatem. (66)

Calidus hic aeris ſtatus brevi ceſſavit, manebat autem ſiccitas, quæ paucis exceptis diebus, quibus deſcendebant pluviæ graves ſubitaneæ, ultra medium *Auguſti* porrecta eſt. Temperie autem ſuâ, quoad calorem & ventorum afflatum, mutabilis fuit hæc æſtas, minori tamen gradu, quàm in prægreſſis; ut ex

QUÆST. 66. Annon ex prægreſſa fibrarum ſtrictura, auctoque motu a calore, patet hic in morbos inflammatorios effectus? Et annon ex iiſdem, cum Quæſt. 1, 2, 3. comparatis, apparet tum nervorum reſolutorum, tum diarrhœæ & ſudorum cauſa; quippe rareſcente ſanguine, per eos corporis meatus, quibus præ cæteris facilis patebat exitus, ſeu per cutem, ſeu per inteſtina, ruebant humores? Ad idem enim redit in vaſa liquidorum niſus, ſeu eadem ratione augentur moles & impetus fluidorum, ſeu coarctantur vaſorum canales.

Thermo-

Thermometro apparuit, quod licèt frequentes variationes ſubiit, brevibus tamen limitibus ſe continebat.

Pauci morbi per totam hanc æſtatem ſe oſtendebant, hi verò ad ſpeciem inflammatoriam plerumque pertinebant, ſenſimque tam numero quàm viribus decreſcebant. His conjunctæ fuerunt remittentes quædam & intermittentes, nunc morbos inflammatorios, nunc febres languidas ſimulantes; hæ tamen nequaquam epidemicè graſſatæ ſunt, ſed ex debilitatis priorum viribus oriri videbantur, eo quod raró, niſi prægreſſis prioribus, iiſque declinantibus apparebant.

Huic aeris temperiei ſuccedebant pluviæ largæ, ſpirantibus præ cæteris auſtralibus, quæ in *Septembrem* porrectæ ſunt, & diarrhœas quaſdam, morbum Choleram dictum, aliaſque inteſtinorum difficultates comites habuerunt

buerunt

buerunt; hi tamen morbi neque frequenter neque diu ſe oſtendebant.

Fuit hæc æſtas admodum ſicca; ratione verò ventorum longè diſſimilis anno 1723. In ambobus autem diuturnæ ſiccitatis effectum aſpicere licet, propenſitatem ſcilicèt ad morbos inflammatorios, vario tamen gradu, producendum. Hæc enim ei non abſimilis fuit, quoad morborum regnantium ſpeciem, qui ferè omnes ad claſſem inflammatoriam pertinebant; gradu tamen multùm differre videbatur, eo quòd hac longè mitiores minuſque frequentes fuerunt, cruorque minori gradu inflammatus; quod forſan miti & æquabili ejus calori, & lenibus Auſtri Zephyrique frequenter ſpirantium afflatibus, tribui poteſt. Per totum enim annum priorem ſpirabant Aquilones vel Euroaquilones, qui præ cæteris fibras conſtringunt, fluida denſant,

ſant, & diatheſin inflammatoriam humoribus inducunt.

Hac verò æſtate, placido lenique calore fovebatur corpus, & neque inſueto calore exuſti ſunt humores, neque ventis acribus conſtricti canales. Ex quo non parùm probabile eſt, hunc annum prædicto 1723 ex toto ſimilem fuiſſe, modo in his diverſitatem non paſſus eſſet: Quippe utriſque præceſſit humida temperies, dein huic ſucceſſere acris hyems & ver non diſſimile; quæ omnes tempeſtates ejuſdem generis morbos in utriſque comites habuerunt; donec placida & mitis hujus anni temperies, tam aeri quàm morbis graſſantibus, varietatem induxit.

Paulò ante medium *Septembris* tepidum & placidum fuit cœlum, leviter ſpirantibus Auſtris, eaque temperie, paucis exceptis diebus, ad finem ferè *Novembris* permanſit, fu-

itque tempeſtas admodum ſalubris.

Dedi tibi, Lector benevole, Epidemicorum ſeriem aſſidua obſervatione, & non ſine tædio natam, quam clarè & diſtinctè tradere, præ cæteris, in animo habui.

An autem in poſterum eodem ordine ſibi invicem ſuccedant Epidemici non aſſero; deſunt enim obſervationes, & manet ſucceſſionis modus problema adhuc irreſolubile, & forſan ſemper erit. Tuum autem eſt ulterius progredi, &, ſi potes, nodum ſolvere; neque laboris te pœnitebit, etiamſi ſcopum non attigeris. Mihi enim in praxi utiles fuerunt hujuſmodi obſervationes, & tibi, ut ſpero, ſint emolumento: Sin aliter, viam monſtrando, vetuſtam licèt & obſoletam, qua utilis fiat in arte progreſſus, eas, aliquid boni rei medicæ allaturas, adhuc liceat ſperare.

FINIS.